6
22-f
6

Donum Authoris



6_22.f.6

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google


MARIA CLEMENTINA
MAGNÆ BRITANNIÆ &c
REGINA

EPICEDIUM
PRO IMMATURO FUNERE
MARIÆ CLEMENTINÆ
Magnæ Britanniæ, &c.
REGINÆ.





Digitized by Google

EPICEDIUM
PRO IMMATURO FUNERE
MARIÆ CLEMENTINÆ
Magnæ Britanniæ &c. Reginæ:
SIVE POTIUS EPINICIUM
Pro relata ab Ipsa de Mundo, Ejusque pompis, victoria: continens Parentalia, EIDEM
A CLEMENTIS XII.
FELICITER REGNANTIS
Pontificis Opt. Max. munificentia;
Majori utrùm Urbis mærore, an plausu nescias, persoluta.



AUCTORE SACERDOTE
D. JO: FRANCISCO CASABIANCA
Ex Nob. Familiis Regni Corsicæ, Philos. ac Sac. Theol. Doctore, & in Romano Sapientiæ Archigymnasio, Academico.

DICATUM Emo, & Rmo PRINCIPI
NEREO CORSINO
S. R. E. CARDINALI DIAC.



ROMÆ, M. DCC. XXXVIII.
Typis Jo: Baptistæ Caporali, propè Sanctum Marcum.
SUPERIORUM LICENTIA.

Digitized by Google

Em̃o, & Rm̃o Principi

NEREO S. R. E.

CARDINALI CORSINO,

CLEMENTIS XII.

Feliciter Regnantis

PONTIFICIS OPT. MAX.

NEPOTI EX FRATRE, DIGNISSIMO,

Jo: Franciſcus Caſabianca Felicitatem.





AS elucubrationes, Eminentiſſime Princeps, de Funere & Virtutibus MARIÆ CLEMENTINÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, *cui dicarem, non admodùm extitit anceps animus. Cui enim potiùs, quàm Eminentiæ Tuæ, de* MARIA CLEMENTINA *opus inſcriberem, quæ vivens tùm SS. Patruo tuo* CLEMENTI XIJ. Pont. Opt. Max.

tum

Digitized by Google

tum Tibi adeò accepta fuit: Mortua autem unanimi utriusque consilio & voluntate, tantâ Urbis significatione, tantâque honoris magnitudine decorata est; ut Defuncta magis in feretro, quàm in Throno vivens effulserit? Etenim quæ pompa lugubrior, nobiliorque in efferendis Regibus species? Quæ in agendis victoriis de hostibus profligatis celebritas spectatissima valeat sepulchrali honori in Funere MARIÆ CLEMENTINÆ, *vel aliquali dumtaxàt similitudine comparari? Quid enim in hunc usque diem, vel ingeniosissima commenta est ars, quod summo cultu, summoque honore in persolvendis Reginæ defunctæ exequiis, Patrui tuo ter maximi, & si vis, Tua etiam, beneficentia, non voluerit executioni mandari? Quis universæ Urbis in unum confluentis, Parenti optimæ gratiâ parentandi, communis plausus; ita ut numquàm anteactis Sæculis, nec cum catenatos in majorem triumphi speciem devictos Reges pertraheret, nec cum de universo terrarum Orbe suæ ditioni subacto clarissima trophæa erigeret: Sicut die illa, qua ex Basilica SS. Duodecim Apostolorum ad Limina Divi Petri Regium* MARIÆ CLEMENTINÆ *Cadaver delatum est, se ipsa major visa sit, nec esse conata fuerit? Quid plura? Ea fuit tùm Urbis significatio, tùm Patrui tui, Tuaque, in eo exornando funere munificentia; ut Parentalia illa non funus, sed triumphus magnificentissimus, jure quidem merito, fuerint nuncupata.*

Du-

Duplex hinc opus prodiit de Funere MARIÆ CLEMENTINÆ *tribus ab hinc annis, summo Urbis mærore, è vivis ereptæ. Alterum Congregationis de Propaganda Fide: Alterum* CLEMENTIS XIJ. Pont. Max. *Patrui tui jussu editum. Alterum partim strictâ, partim solutâ: alterum solutâ undequaque oratione,* MARIÆ CLEMENTINÆ *virtutes maximas per quàm venustè commemorans: primumque à pluribus Idiomatibus in Italicum metrum, ad faciliorem omnium captum, calamo non inferiore traductum. Utrumque enim verò opus, supra quàm dici possit, numeris omnibus absolutum. Utrumque etenim totidem linguis, quot verbis, Reginæ defunctæ res præclarè gestas ob oculos circumferendo; ubique terrarum, ubique gentium concelebrat. Qua de re Urbi, quinimò universo terrarum Orbi, quàm gratum utrumque contigit! & quàm frequenti obtutu, omnium oculis perlustratur; in quo, gemino veluti in speculo,* MARIA CLEMENTINA *vivens quodammodo circumspicitur! eòque libentiùs ab omnibus utrumque opus evoluitur, quò magnificentiùs in utroque enitet maximi tui Patrui, tuaque simùl, non dicam liberalitas; sed in Regio* MARIÆ CLEMENTINÆ *funere, splendidissima munificentia.*

Neque obtrectet hìc aliquis: si hæc ità se habent, ut ornatissimè in utroque nupèr edito opere, MARIÆ CLEMENTINÆ *virtutes eniteant: ad quid tertium*

etiam

etiam hoc opus addere? Ad quid nova hac rudi barbarâque dicendi methodo, Reginæ defunctæ laudes tenebris potiùs denigrare, quàm illustrare? Numquid perfectissimis rebus perfectiùs quid addi potest? Quid verò? An non quacumque vel disertissima facultate superiora sunt Reginæ defunctæ merita; ut, summis licet laudibus extollantur; numquàm tamen, ut par est, valeant commendari? Ea enim verò est omnium de MARIÆ CLEMENTINÆ *virtutibus opinio, eaque æstimatio: ut, licèt semel atque iterum vel eruditissimis calamis fuerint exaratæ; tertiò nedum, sed centies milliesque uberiori in dies, si fieri possit, ingeniô extollendæ quàm magnificentissimè censeantur.*

An non digna est, quæ quotidiè magis terrenis laudibus celebretur, non humana (suprà enim omnem naturæ humanæ conditionem prætergredi visa est) sed divina illa propemodùm virtus: quæ non solùm Urbem, quæ, Deo sic disponente, ejus virtutum theatrum extitit; Sed totum, quà latè patet, terrarum Orbem in maximam sui admirationem attraxit? Quomodò itaque temporibus nostris non extollatur; quorum oculis tandiù tot virtutum Sol nitidissimus coruscavit: qui totiès irradiantis adeò lucis immensum pelagus inspeximus & admirati sumus quàm maximè? Venturæ idcircò ætati oscitantiam desidiamque nostram criminandi quàm justissimum motivum foret; nisi ab

omni-

omnibus ; ea qua possumus dicendi arte , tantæ Reginæ laudes typis cudantur : ut , quæ ab uno licèt atque altero concinnatæ, numquàm tamen satis pro meritis ; à pluribus saltem , adauctis in dies encomiis , concelebrentur. Non liberalitatis igitur munus ultroneum ; sed strictæ justitiæ , MARIÆ CLEMENTINÆ *meritis debitum persolvere nitor ; dum aliorum plausui plausum hunc , vel exilem omniumque minimum associare contendo : tùm , ut de vitâ & morte* MARIÆ CLEMENTINÆ *opus egregium , Sanctissimi Patrui tui jussu editum , inter unum & alterum effulgeat ; tùm , ut Reginæ defunctæ meritis, tuo etiam , qui par Regibus dignitate præfulges , penè dixerim superbum nomine, prodeat opus . Congruum etenim , ne dicam debitum , est ; ut à similibus similes , pares à paribus honorentur .*

Suscipe itaque , Eme Princeps , eâ qua polles animi benignitate atque vultus hilaritate hoc meæ servitutis vectigal , tenueque hoc devotionis meæ argumentum , & in tui nominis Clientelam adscisce opus , quod quantumvis insulsum , quantumvis rude ; si tui nominis patrocinio suffultum prodeat , à nemine non legetur . Demùm si quid à me maximâ tui Patrui , tuâque munificentiâ , Regiâ MARIÆ CLEMENTINÆ, *atque Regis* JACOBI *dignitate , Regiorumque Filiorum virtutibus , minùs dignum exaratum dictumque fuerit : ante pedes in primis SS. Patrui tui , necnon genibus provolutus ante maxi-*

Digitized by Google

mum JACOBUM *Regem*, *Regiosque Filios, atque Eminentiam tuam, cum ab impari adeò instrumento melius quid prodire minimè potuerit; ut benignissimè, pro animorum vestrorum ingenitâ urbanitate parcatis; huncve ausum temeritati proximum condonetis, etiam atque etiam rogo & obtestor.* Hoc *si feceris, & ab aliis quoque fieri curaveris, maximam tuæ in me clementiæ arrham habebo; Tuncve Eminentiæ Tuæ humillimum, obsequentissimum, & addictissimum Servum potiori jure esse gloriabor. Vale.*

BENEVOLO LECTORI.

NE dedigneris, amice Lector, hosce me os modulos super Parentalibus MARIÆ CLEMENTINÆ suscipere. Neve mireris, si serò adeo egredior, ita ut intempestæ noctis tempore egressus, in atris tenebris versari videar. Id enim in causa fuit; quia tunc temporis, quo, acerbo adeò fato MARIA CLEMENTINA nobis prærepta est, in Romani Lycæo Collegij Theologicis disciplinis operam dantem, Musarum ingredi Parnassum haudquaquàm vacavit. Quamquàm enim verò mihi videor tempus nactus oportunum, si serotinum, adeoque nocturnum appellas: non nisi etenim nocturno tempore Nycticorax solet vagari. At scio, inquies: Olorum est de Heroibus, maximè Regiis, modulari. Utique & ego fateor. Ast inter Olores quandoque & Cornix solet obstrepere; & in harmonicis organis dissona stridet chorda nonnumquàm. Ego itaque, qui cum Oloribus, pro modulo ingenii mei, modulari non valeo: sicut Cornix obstrepere, & discors velut chorda stridere minimè destiti. Scias igitur, me non studio modulandi, à quo meum maximè peregrinatur ingenium; sed devotionis meæ dumtaxàt gratiâ testificandæ tum in CLEMENTINAM, tum in Illos, de quibus incidentèr nonnihil etiam locutus sum, ausum esse in amæna Parnassi culmina pedem inferre. Si enim tanti faciebat Deus primitias cujusque rei, ut primos sibi offerri agnos segetesque sæpe mandaret: Ego qui studium meum in CLEMENTINAM, JACOBUM Regem, Regiosque Filios, necnon in maximum Mæcenatem meum, qui omnes debitum sibi officium nullum non faciunt, significantiùs præseferre non poteram; hasce mei in-

genii primitias obtuli venerabundus. Igitur si elucubratio non arridet; nihil enim habet quo placeat: neque enim eò dementiæ mens Auctoris devenit, ut speret hæc oscitantèr admodùm elaborata carmina, potiùs dixerim Solæcismos, vel uni minimùm placitura; satis etenim superque Auctori est, si magnoperè non displiceant: Quamobrem quod de se demissè admodùm sentiens scripsit Ovid. *Trist. lib.* 1. *eleg.* 6., id Ego ab ipso mutuatus, humili hìc supplicique transcribo calamo, tibique cum ipso loquor:

Et veniam pro laude peto; laudatus abundè,
Non fastiditus si tibi, Lector, ero.

Attamen, si & me fastidias, ut plurimùm certè fastidies; & opus tibi undequaque displiceat: placeat argumentum, Heroes placeant, quibus te etiam maximè devotum censeo. Vale.

Demùm hìc Te monitum velim, amice Lector, ut sequentia cit. paginis legas.

Pag. XXI. vers. 1. Non es pollicitus, Superum plaudente Senatu?
Pag. XXXIV. vers. 6. Hinc Populus, Proceresque omnes, &c.
Pag. XXXX. vers. ult. Jura mari Ægeo, &c.
Pag. XLIX. vers. 3. Dum sacras Ædes, & plurima Templa subiret.
Pag. LXIX. vers. 4. Lætoque extollit vertice, &c.
Pag. LXIX. vers. 2. *& pag. LXXI. vers.* 2. Æthiopes.

In ceteris ingenii mei imbecillitatem excusatam habeas rogo.

Pag. XXI. vers. 22. Ter læti cecinere Chori, &c.
Pag. XLII. vers. 10. Sat lacrymæ ex oculis prosiliere tuis.
Pag. XLVIII. vers. 14. Mœstus Te flebat Turtur, &c.

Pro-

Proteſtatio Auctoris.

Cum felic. record. Urbanus VIII. quodam ſuo Decreto, anno Domini 1631. die 6. Junii ſtatuerit, in Elogiis Perſonarum, quæ cum opinione ſanctitatis deceſſerunt, nondùm autem Sanctorum, aut Beatorum ſyllabo adſcriptæ: multo verò magis, ſi nec Ven. Servorum Dei titulo decoratæ ſunt, apponi proteſtationem Auctoris, quod eorum omnium, quæ in dictis Elogiis continentur, fides ſit penès ipſum Auctorem; & nihil intelligatur innovari de illis, donèc acceſſerit Decretum Apoſtolicæ Sedis de earum ſanctitate, vel veneratione illis exhibenda. Huic Decreto, aliiſque hujuſmodi quàm obſequentiſſimè morem gerens, apertiſſimè profiteor proteſtorque, per hæc omnia, quæ inferiùs de MARIA CLEMENTINA, ejuſque virtutibus recenſentur, nihil certitudinis addi opinioni Ejuſdem ſanctitatis, qua cum deceſſit: ſed ſpem noſtram, humanamque exiſtimationem, qua piè credimus (ſi etiam ſis ſit ita loqui) Ipſam in Cœlos evectam eſſe, eodem omninò inniti fundamento, ac priùs; & veluti ſi hæc numquam edita fuiſſent in lucem.

Inſuper & hæc legas locis cit.

Pag. XXX. *verſ.* 17. Fata nec incuſant, &c.
Pag. XXXI. *verſ.* 5. Lugete Extinctam Pueri, lugete Puellæ?
Pag. XL. *verſ.* 17. Utque feros quatiant pia Cæſaris agmina Thraces.
Pag. XLII. *verſ.* 6. Tanto perculſus vulnere, jure gemis.
Pag. L. *verſ.* 25. Nam olim, dum erat Illa ſuperſtes.
Pag. LXXVII. *ver.* 1. Templa ubi tuta diù, vaſto procul Orbe Getarũ.
Pag. LXXVIII. *verſ.* 3. Ingredior, *ponamque meas hoc pectore ſedes.* *
Ibi verſ. 11. Templa tibi quæris, terris expulſa Getarum?

* *Claud. lib. 2. de laud. Stil.*

I M-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Phil. Episc. Pisaurensis Vicesg.

APPROBATIO.

Legi hoc EPICEDIUM omni diligentiâ, & nihil in eo mihi visum est contrà Fidem, & bonos mores.

Jo: Bottarius.

IMPRIMATUR,

Fr. Joachim Pucci Magister Socius Sacri Palatii Apostolici Magistri, Ord. Prædic.

Digitized by Google

MARIA CLEMENTINA

Gravitèr decumbit,

Moritura Natos Virumque alloquitur,

Sese Domino commendat, tandemque moritur:

DEFUNCTÆ IN EXEQUIIS PERSOLVENDIS

A CLEMENTIS XII.

MUNIFICENTIA

Mandantur honores quàm splendidissimi.

CARMEN.


Nfandum, Regina, jubes renovare dolorem,
Męstę Urbis lacrymas, & lamentabile fatũ,
CLEMENTINA, tuum: Te, læto ut flore juventæ,
Sive Amor, aut Parcæ tulerint; & præcoce fato
Merserit atra dies feretro. Quis talia fando,
Aspera vel duro gestans præcordia ferro,
Temperet à lacrymis? Largo quis lumina, primùm
Percipiens, fletu abstineat? Quis durior omni
Tigride, non magni exhibeat monumenta doloris;
Et non Reginæ lacrymetur nomen ademptæ?

Jam

Jam novus auricomum Cęlo caput extulit annus
(Duodecimi CLEMENTIS quintus) (semper acerbus,
Semper honorandus, tulerant sic fata, recurret.)
Jamque rigens Arctos nivium diffuderat urnam,
Et gelidis quatiebat hyems Aquilonibus Orbem,
Cum CLEMENTINÆ flagrans præcordia febris
Irruit, atque æstu accenso depascitur artus.
Sollicito intereà percepit pectore CLEMENS
(Prosperè adhùc regnans, toti qui præsidet Orbi,
Atque Dei in terris munus qui præstat; & ultrà
Det Deus, ut longùm præstet: nàm maximus Urbi,
Atque Orbi verè clemens ac optimus idem est)
Reginam febri exuri: cum protinùs Urbem
Ferre jubet pia vota Deo. Tunc excita jussu
Pontificis tanti; & propriis præfervida votis,
Ante aras Urbs tota ruit: supplexque precatur
Quisque Deum, vitæ Dominum mortisque futuræ.
Cœlicus hìc Panis Templis exponitur; illic
Publica vota Deo fiunt: & lumina mille
Mille faces ardent aris, & thura cremantur.
Omnibus idē animus, mens, voxq; est omnibus una:
Reginam incolumem servet Deus, Urbis amorem,
Prodigium cunctis Populis, Orbisque decorem.
Ast quoniam placitus Cœlo, placitusque Tonanti
Spiritus ejus erat (1); necnon Divina voluntas
Regi-

(1) *Placita enim erat Deo anima illius.* (*Sap. c. 4.*)

Reginam induci Superis; & reddere factis
Prœmia digna suis: morbi vis crescit, & ardor
Usque adeò febris cor molle intensiùs urit;
Spiritus inferri ut tandem sit proximus astris.
Quis tibi tunc sensus cernenti talia, celsi
Aligerum pia turba Poli? Quæ gaudia menti,
Vel quæ tristities? Superi, vos dicite: qualis
Pugna voluntatum, studia in contraria, Cœli?
Prima hìc ante omnes, cordi cui maxima cura est,
Sistitur alma Fides Domino, sicque orsa perorat:
Ergo ne tam celeri cursu, florentibus annis,
Religionis honos, virtutisque omnis Imago,
CLEMENTINA mori; jamjamque est proxima fato,
Jussà, Pater? Tanta hæc igitur tam protinùs altrix
Occiderit Regina mei? Quampluribus ergo
Sontibus, atque Reis infandi criminis, & qui
Indecores vivunt annos per furta rapinasque,
Ultrò vita datur; vitiisque annisque senescunt?
Hæc autem, quia fida mihi, Cœloque, tibique;
Replevit pulchris totum virtutibus Orbem;
Aurea jam rursus retulit quæ sæcula terris:
Ictu intempesto mortis, melioribus annis,
Victima facta cadet, viduamque reliquerit Urbem?
Quid juvat egregio Regno, Soliique Coronà
Posthabitâ, coluisse Fidem? Quid candida puræ
Mundities vitæ prodest, & maxima virtus?

An, quia tam rectè vixit, tam vivere parcâ
Olli ſorte datur? Sic Illa in Sceptra vocatur?
Hic mercedis honos? meritis hæc prœmia tantis?
Aſpicis, ut lacrymis oculos ſuffuſa nitentes
Urbs tibi chara jacet? viden, ut mœrore tabeſcens
Hanc ſibi ſervari ſupplex oretque rogetque?
Aſpicis, ut proprii Regni Rex ipſe JACOBUS
Damna tulit, fertque uſque pius: juſtiſſimus unus
Inter mortales, & ſervantiſſimus æqui?
Inter at ambages, & tot diſcrimina rerum,
Sortis & adverſæ caſus hoſce: hoc decus illi,
Hoc ſolamen adeſt: tantùmque hoc eſſe ſuperſtes,
Hoc ſupereſſe rogat; Sceptri nil cetera curans.
Jacturæ Regni, & Patrii diadematis ergo
Hanc ſuperaddendam patietur mœſtior? Abſit.
Cum Patre Nati ambo, Matris, per ſidera Cœli,
Per quidquid magnâ Cœlis pietate refulget,
Innocuis labris poſcunt repetuntque ſalutem.
Quod meritum tantis precibus! quæ gratia votis!
Gratia num meritis eſt tantis ulla neganda?
Ulla igitur ſi vota hominum lacrymæve preceſve,
Thuraque aduſta movent Numen; ſi juſta rogamus:
Da, redeat ſperata ſalus; ſit vita ſuperſtes;
Da, Pater, ut longos ultrà procedat in annos.
Vivat delicium Natis, Regiſque levamen;
Vivat adhuc ſoſpes pulchræ in virtutis honorem:

Chara

Chara Deo, ac Orbi vivat; vivatque Magiſtra,
Vivat in exemplum.... Nequidquã plurima perdis
Irrita verba, Soror; ſpes & quàm paſcis inanes!
Diva Themis Fidei hìc inquit: prolixa querelas
Cum precibus miſces, & ſpargis fletibus ora.
Quæ tibi digna ſatis fraudandæ cauſa beato
CLEMENTINÆ obtutu? ultrà quid vivere terris,
Cum precibus lacrymiſq; rogas? Cur pluribus olli
Cœlorum ſedes, & prœmia digna moraris?
Numquid virtuti, caſuræ gaudia vitæ
Prœmia digna putas? An non ſublimibus iſte
Finis ineſt animis? An non hùc omnia tendunt,
Dudùm hùc collimant Reginæ vota preceſque?
Hùc igitur migrare ſinas. Florentibus annis,
Aſt, inquis, moritur; quando vel Sontibus ipſis
Non rarò prolixa datur lux ſponte. Quid inde?
Aut ideo hi vitam ducunt per tempora multa;
Ut virtute malum reparent; meliorque vetuſta,
Quàm fuit ætatis primæ juvenilibus annis
Luxurians per prata vigor; ſe ſeque reducat
In melius tandèm, letho vicina ſenectus:
Vel Juſti ut per eos, aurũ velut igne, probentur (1).
At CLEMENTINAM rectè vixiſſe, vel ipſa
(Nec loqueris niſi vera) Fides es faſſa. Quid ergo

(1) *Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur: aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.* (*D. Auguſt. in Pſalm.* 54.)

Cœlorum viſu fraudas, meritâque Coronâ?
An Soror ignoras, lux quod non longa, nec anni
Prolixam vitam faciunt: ſed maxima virtus?
Atque diu vixit, pietas cui vita peracta;
Et paucis pietas annis eſt longa ſenectus? (1)
CLEMENTINA igitur, virtus cui vita; vel ævo
Conſummata brevi, complevit tempora multa.
Et Juvenis cadat illa licèt, jam traditur illi
Pro fragili vitâ, vitæ melioris origo.
Eximio at Regno caruit Regina. Quid inde eſt?
Pro terræ Regno cœleſtia Regna dabuntur.
Candida munditics, atque ejus maxima virtus
Gloria major erit, meritis æquata Corona.
Rex mœret, Natique dolent? Sed cauſa dolendi
Nulla illis; recreet potiùs quos læta voluptas.
CLEMENTINA Polum veniens, gaudenſque beato
Intuitu, ſummi ſupplex ante ora Parentis,
Ipſa ſuis precibus Natos in Sceptra vocabit;
Et Reges Regno ſtatuet, rebuſque Secundis;
Hæc ſi, Diva Fides, æquatâ lance librabis:
Quod tibi jus; Cœli ſedem, Regnique beati
Ut CLEMENTINÆ Solium, Sceptrumque moreris?
Hęc ubi verba dedit Fidei Themis alma; ſupremo
Cœlicolum Regi, prono ſic ore profatur:
An non ſic fieri fas eſt, Rex optime? Numquid
Non

(1) *Senectus non diuturna, neque annorum numero computanda* (*Sap.c.4.*)

Digitized by Google

Non es pollicitus transfactis ante diebus ?
Num tibi versa, Pater, retrò est sententia ? An ista
Divinæ frustrata manent oracula mentis ?
Si jus ergo facis, reddis si prœmia Justis;
Fac CLEMENTINÆ meritorum prœmia reddam.
Audiit Omnipotens pulcherrima bella Sororum
Pro CLEMENTINÆ studiis: Hæc vivere rursùs
Nixa rogat: tantis meritis dare prœmia, contrà
Hæc petit. Ille toro consurgens talibus infit.
Parce metu Themis alma: manent velut ante fuerunt;
SOBIESKI fata in cœlis; absiste precari.
Nec mihi versa retrò, Nata, est sententia; necdum
Divinæ frustrata abeunt oracula mentis:
Fac CLEMENTINÆ tribuatur justa corona.
Inde Fidem verbis istis solatur amicis:
Ne doleas, mea Nata; tuæ si prœmia dantur
CLEMENTINÆ; sique die hac super astra vocatur;
Jamdudùm æternâ digna est quæ luce fruatur.
JACOBUS sed restat adhùc, Natique supersunt
Religionis honos: redeat concordia menti.
Dum Solio è summo loquitur Rex magnus Olympi:
Ter læti cecinere Poli; ter clarus ab alto
Aligerum, resonante lyrâ, dedit ordo choreas:
Reginam, ut cepit, cœlestia ad astra vocari.
Numinis æterni postquam patefacta voluntas;
Fit CLEMENTINÆ membris intensior æstus,

Pro-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Proxima ſitque mori: ſerpit jam pallor in ore,
In vultu macies, & plurima mortis imago.
Hæc ubi lethiferam circùm præcordia febrim
Senſit, & extremam properantis funeris horam
Adventare ſui: Sponſo, Natiſque vocatis
Ad ſe ſe; forti atque hilari ſic ore profatur.
Blanda mei cordis, Nati, dulciſque voluptas;
Dimidiumque mei, Vir mi; ſat viximus: ergo
Proxima ſum fatis; totius proxima terræ
Ingrediorque viam (1). Tituli, non Sceptra, nec aurũ
Vim Fati ſuperare valent: Quin protinùs iſta
Mors rapit, ac falce abſcindit; tumuloque ſepulta
In nihilum redigit: virtus at maxima ſolùm
Poſt cineres vivit, remanet poſt fata ſuperſtes.
Hæc ſequitur vitâ functos, hæc una beatos
Pro meritis, quæ quiſque tulit, ſuper aſtra coronat.
Nati, igitur rebus ne ſpem ponatis in iſtis.
Ad Cœlum ſemper cunctis contendite votis;
Et vitæ greſſu Cœlum ſit finis in omni.
Sit vobis cordi pietas, probitaſque, Fideſque;
Sit cordi ſemper ratio juſtiſſima recti.
Nec longè nimiùm vobis exempla petenda:
Patris, in hac terrâ, vitam ducatis ad inſtar;
(Hoc moneo, hoc hortor) veſtrũ quoq; vivere ſemper
Sit non abſimilis, tanti Genitoris Imago.

Tu-

(1) *Ingredior viam univerſæ terræ.* (*Reg.* 3. *cap.* 2.)

Tuque Vir, egregium virtutum exemplar,& omnis
Juſtitiæ ſpeculum, longo qui dignior ævo;
Tu pietate tuâ, Patriis virtutibus ambos,
Ut facis, inſtructos edoctoſque excole Natos;
Atque vices Matris, melius, quàm Mater, obibis.
Pars, ò Sponſe, mei melior: mea pignora, Nati,
Durate, & voſmet rebus ſervate Secundis;
Nilque meâ eſt vobis feſtinâ hac morte dolendum:
Namque mei in vobis, Mundi licèt abditæ ab oris,
Pars melior potiorque manet: Quin tota ſuperſtes
Functa licèt vitâ, gaudebo munere vitæ,
Vir, Nati, in vobis: auſim quin dicere; triplex,
(Tantũ veſter amor poterit)(namq;optime Conjux,
Altera Ego es; bis Ego, Nati) vel funera poſt hæc
Convivam: mi Sponſe vale, Natique valete.
  Atque ubi complexu charis dedit oſcula Natis;
Amplectenſque iterum, Nato benedixit utrique:
O ſuper ambobus firmet benedictio Cœli
Hanc, ait, alma meam! Cognata hinc ſidera versùs
Aſſiduo fletu rorantia lumina vertit;
Languentiſque ſono vocis tum talia fatur.
  Syrtibus heu quantùm cæcis,ſcopuliſque refertũ!
Eſt mare vita hominis: paſſim proh qualibus illa
Fluctibus impetitur, rapidis agitata procellis!
Sunt undæ lacrymæ, venti ſuſpiria: Navis
Noſtra iſtis ventis quantùm jactatur, & undis!

Flu-

Fluctibus accedunt fluctus : nondùmque resedit
Mota procella prior : mox altera oborta carinam
Aggreditur ; laceramque vadis illidit & æstu .
Sęva Rates hinc Scylla fremens, hìc dira Charybdis
Obsidet : immani rictu barathroque profundo
Naufraga ligna vorant : mille hinc, mille inde dolosę
Sirenes blandi , Nautas , dulcedine cantus
Heu quot decipiunt ! Cautus vix unus Ulysses
Cum sociis , modulis fallacibus obstruit aures .
Quid , si nostra Ratis tantis concussa procellis ,
Ambitione tumens , fastuque elata superbo
Per maris alta petat ? Quid , si temone revulso
Quasque velit cæcas puppi transcurrere Syrtes ?
Stantibus idcircò his scopulis , atque undique latè
Cautibus horrendis , æstuque frementibus undis ;
Hoc ponto juvat ire procùl : cum sævaque passim
Monstra latrent, strepitante mari, cecidisse juvabit.
Illic ut tandèm , Domino donante , salutis
(Divinæ pietatis ea est spes) puppis inermis
Hæc portum capiat : nullis ubi mota procellis
Sistet in æternùm ; nullis ubi concita ventis
Perpetuam sumet requiem , sospesque manebit .
Pax ubi firma viget : voluit cui littora pacem ,
Et pacem fines posuit Deus ipse (1) : fatigat
Nulla ubi tempestas : glacies ubi nulla , nec æstus :
Sy-

(1) *Posuit fines tuos pacem.* (*Psalm.* 147.)

Syrius unde abiit fervens, & bruma receſſit (1).
Hanc animã tollas igitur, Pater optime, quam Tu
Lætitiæ ſumptam Cœlis, torrente replebis (2).
Illa etenim dictis lætata exultat in iſtis:
Ibimus in terram vitæ (3); lætabimur illic
Perpetuis Ver ſemper olens ubi floribus halat;
Æterni fulgentque dies: ubi nectare colles;
Melle fluunt fontes; diſtillant flumina lacte (4).
Vitę ubi flumen aquę manat (5); ſcatet undiq; latũ
Lætitiæ irrorans felicem rivulus hortum,
Fonſque voluptatis (6): fluvii quoque floret utrâq;
Ex parte irriguum lignum, quod poma ſalutis,
Quoslibet in menſes, generat, fructuſque beatos (7).
Tunc non per ſpeculum, cæca atque ęnigmata; clarâ
Sed facie ad faciem totus Deus ipſe videtur (8).
O Amor! oh quantis torres mea pectora flammis!
O Patria! ò Tellus! æternæ ò gaudia vitæ!

(1) *Jam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit.* (*Cant.* 2.)
(2) *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* (*Pſalm.* 35.)
(3) *Lætata ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in Domum Domini ibimus:* (*Pſalm.* 121.)
(4) *In terram fluentem lac & mel.* (*Exod.* 13.)
(5) *Oſtendit mihi fluvium aquæ vivæ.* (*Apoc.* 22.)
(6) *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum:* (*Gen.* 2.)
(7) *Ex utrâque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructus ſuos.* (*Apoc.* 22.)
(8) *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* (1. *ad Corinth.* 13.)

Quàm tua pulchra JACOB tentoria! pulchraq; quantũ
Iſrael alma Domus (1)! Concinnaque caſtra Sionis
Quàm dilecta! flagrans jamdudùm deficit illis
Spiritus in caſtris (2). Mea pars, mea gloria, cordis
Tu, Deus iſtius (3). Divinum cernere vultum
Mens mea, corque meum lætantur (4): Paſſer in illo
Invenit ægra Domũ, nidũ quoq; Turtur anhela (5).
Hoc Dominum ſemper petii, ſemperque requiram,
Ipſius æternâ ut valeam conſiſtere in Æde (6).
Quàm ſuave eſt, Dominũ cunctis propè ſtare diebus,
Atque hærere Deo dulce eſt (7)! Mi ſpiritus almis
Quid tibi in aſtrorum Soliis? quid terra miſella,
Quid tibi Mũdus habet (8)? Mea vota intẽdite ſurſũ.
Quis mihi det, Mundi iſtius ſuper æquora curſim
Alba Columba volem, Terræ ſpatiiſque relictis
Aſtra Poli teneam, Cœlumq; ingreſſa quieſcam (9)?
Quamquàm quid meriti eſt miſerę? Quę gloria vitę,
Ut

---

(1) *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael! (Num. 24.)*

(2) *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. (Pſalm. 83.)*

(3) *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. (Pſalm. 72.)*

(4) *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. (Ibid.)*

(5) *Etenim Paſſer invenit ſibi Domum; & Turtur nidum ſibi. (Ibid.)*

(6) *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. (Pſalm. 36.)*

(7) *Adhærere Deo bonum eſt. (Pſalm. 72.)*

(8) *Quid mihi eſt in Cœlo; & à te quid volui ſuper terram? (Pſal. 72.)*

(9) *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ, & volabo, & requieſcam? (Pſalm. 54.)*

Ut tali ac tanto immeritam me digner honore?
Sunt alii colaphos, lapides, ludibria, probra,
Torrentes, ignes, gladiosque, crucesque, rotasque,
Vincula, supplicii pœnas, ac vulnera passi;
Ut tali tandèm fruerentur sorte beati (1).
Ast quid ego mollis tanto pro munere feci?
Quos ignes, gladiosque, rotas? quæ vulnera mortis
Pro tantâ mercede tuli? Quæ vincula palmis?
Vel qua præproperâ mactavit morte Tyrannus?
Tu, Deus alme, mei clemens miserere: juvamen
Subsidiumque tuum Sontis miserere petentis.
Me tibi,& hosce meos.... Referat nũc singula quisnã,
Carmine vel repetat morientis verba? Sed illa
Dicite vos Patres, celebres vos dicite Matres:
Dicite vos omnes, queis tali assistere morti
Sors fuit, atque piâ clausistis lumina palmâ.
Dicite vos sensus teneros, quæve ultima verba,
Quasve preces Domino, supremo Illa edidit ore.
  Dixerat, & sensim perdit moritura loquelam:
Cum subitò juxtà morientis strata, volantes
Mors, & Amor juncti properant pernicibus alis:
Ambo pharetrati, jaculis instructus uterque:
Altera pro palmâ mortis contendit: & alter
Totus stat tali laturus morte triumphum.

 Alte-

(1) *Alii verò ludibria & verbera experti; insuper & vincula, & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt. (Ad Hebr. 11.)*

Altera Scipiadas, Decios, fortesque Camillos,
Pompejos, Priamos, Parides, atque Hectora magnũ,
Reginas, Proceres, Regesque, Ducesque, Virosque,
Annibala, Alcides, Brutos straviſſe ſuperbit.
Alter Aloyſios, Franciſcos, atque Philippos,
Dominicos, Thomas, Lojolas, Xaverioſque,
Magdala, Franciſcas, Claraſq; Roſas, Catharinaſq;
Imo & Reginam ſuperum retuliſſe triumphat.
Altera Alexandros jactat, jactatque Catones;
Et tumida, ex multis aliis duxiſſe trophæum,
Clementinæ, inquit, victrice hac falce cadendũ eſt,
Atque obitûs ejus tribuenda eſt gloria Morti.
Hic mihi dãdus honos: falcemq; hùc verſat, & illuc,
Et ferrugineum chalybem vibrare parabat.
Riſit Amor, chalybemq; celer cunctatur, inanes
Conatus Mortis reddens: hinc fervidus olli.
Tu ne triumphales referes hoc funere palmas?
Tuque, tuuſque rigor, ſpoliis induta, trophæum
Extuleris, vitamque metes Virtutibus? Abſit.
Hinc referas truculenta pedem. Nec plura loqutus:
Certamen dubii dum fervet utrinque duelli,
Protinùs ex humeris ſuſpenſum corripit arcum:
Caſta è miſſilibus pharetrâ de virgine puris,
Nobilibus vibranda animis, ignitaque valde;
Quæ non ignipotens ardenti Mulciber Ætnâ
Fuſerit: at flammis nitidâ Cœleſtibus arce

So-

Solus Amor fabricator cudit, Amorque recoxit,
Tela legit: pharetramque manu bis curvat, & arcũ
Expedit: ac tandèm jăculatur missile telum.
Ocior illa Notis, & fulminis ocior alis,
Aurea transfossas pervadit arundo medullas,
Et CLEMENTINÆ extemplò præcordia figit.
Hæc dulci velut in somno sic lumina claudit,
Ut placidè dormire putes: At spiritus olli
Amplius haud superest; Patriis sed redditus astris.
Protinùs hanc postquàm defunctam corpore vidit,
Vicimus, inquit Amor: Mors invida vincimur, inquit,
Atque ubi victor agit de victâ Morte triumphum,
Se tantùm potuisse dolet; lacrymisque dolentum
Adgemit, ac tanto tristis de funere plorat.
Undique discurrens mox pallida Fama per Urbẽ,
Fama volans, fulmen qua non velocius ullum,
Nõ Notus, aut Boreas: quę, quot sunt corpore plumę,
Tot vigiles oculos aperit, tot subrigit aures,
Tot linguis loquitur: tanti prænuncia luctus
Reginam occubuisse refert. Quis funere tali
Sat lacrymas, mixto aut referat suspiria luctu?
Mox Proceres tristari omnes, Puerique dolere,
Hinc mœrere senes: Sponsæ, innuptæque Puellæ,
Cumque suis Matres Natis, singultibus aera
Implere, atque omnes longùm deflere peremptam.
Plerique in tristes hasce hinc prorumpere voces:

Er-

Ergone belligeri ſuper infortunia Martis,
Quo noſtra Italia accenſa eſt, Europaque flagrat,
Defuit hic caſus? Tantis mœroribus ergo
Hic ſuperaddendus fuerat; Regina levamen,
Totius Urbis Amor, noſtri ſolatia luctus,
Ut quoque deficeret? Spes oh quàm reddis inanes
Mors, hominũ! Fragiles nimiùm, nimiùmq; fugaces
Res ò terrenas, ſimiles labentibus undis!
Heu ſpes fruſtratas noſtras! heu irrita vota!
Quid noſtræ valuere preces? Contraria noſtris
Fata bonis! heu tanti auctrix Mors improba caſus!
Hæc num ſors rebus ſummis, ut ſumma repentè
Cæſa cadant? Terris vixque oſtendantur, & ultrà
Fata haud eſſe ſinant: dum nec virtutibus ipſis
Parcitur, & quidquid reperit Mors invida tollit?
  Cominùs hinc alii melius, non aſtra queruntur,
Fata nec improperant: humili ſed voce loquntur.
Omnibus à Domino ſors hæc eſt indita rebus,
Quæque ſuã ut ſphæram teneat, tandèmq; quieſcat.
Quid ſuper humanam ſpeciem terrenaque cuncta,
Atque hauſtus quidam liquidò Cœleſtis in Orbe
CLEMENTINA fuit tantis virtutibus; ergo
Debuit aſtra ſequi, Divinaque Regna tenere.
Haud equidem tanto Cœleſti hoc munere Tellus,
Atque homines digni fuerant: Hinc aſtra petivit.
  Id minimè tamen exhaurit, quin imo dolorem
Au-

Digitized by Google

Auget: dum nobis abiit Cœleſtis Imago,
Atque iterùm Latii terras Aſtræa reliquit.
Plorate heu Cives, Inopes plorate: doloris
Nulla unquàm major nobis cauſa extitit: ergo
Lugete heu Pueri cuncti, lugete Puellæ.
Uſq; adeò Urbs plorans tanti monumēta doloris
Tot dedit: ut letho hoc triſtis caſuque tabeſcens,
Læſa genas molles luctu conſederit atro;
Ante dies actos fuerit nec mœſtior unquàm,
CHRISTINAS, PAULASQ; gemēs. Quid plura? JACOBUS
Ipſe; licèt Regni, necnon diadematis ampli,
Imperturbatis animis ac corde ſereno
Jacturam tulerit; caſu perculſus acerbo,
Conjuge defunctâ, lacrymas cohibere nequivit.
Maximus at CLEMENS, omnes longè antè dolētes,
Præque aliis mœſtus gemuit; crudeleque vulnus
Et corde atque animo claudens, quæ ſigna doloris
Non dedit Ille: ſui cum Regni, atque Urbis, & Orbis
Miraclum, meliuſque decus, Fideique triumphum,
Divinumque ſibi exemplar conſpexit ademptum?
Cum lacrymis fletuque genas, atque ora rigaret;
Dicitur has tandèm fudiſſe è pectore voces.
Omnipotens metuende Deus, qui cuncta gubernas,
Et vitam lethumque geris; qui tempus ab ævo
Ire jubes, ſtabiliſque manens das cuncta moveri:
Quæ mala tanta paras nobis? hoc temporis ergo,

Quo

Quo tua me indignum voluit dignatio ſumma
Eccleſiam regere, & Populis dare jura per Orbem,
Tanta cienda fuit tempeſtas, atque ſonoris
Per mare, per terras turbanda Europa procellis?
Nec ſatis: heu miſeros! adverſo hoc tempore noſtrũ
CLEMENTINA decus, morbi tantique levamen,
Deceſſura fuit? Pacis bellantibus Iris
Quæ fuerit? Noſtros junget quis fœdere Reges?
Omnibus at ſemper præſtet tua recta voluntas,
Quæ meliora facit ſemper; quæve optima ſemper,
Poſt tenebras lucem condit, Solemque reducit.
Sic fatus, curam hanc animum defixus in unam,
Ut CLEMENTINÆ exequias ac funera præſtet,
Regifico juſſit Templum ſplendere paratu
Ædis Apoſtolicæ. Funeſtæ inſignia pompæ
Quis fando referat? Famulis aſtantibus olli,
Regalis vexilla Domus tollentibus altè,
Stat medio Templi Tumulus: feretrique decori
Eminet alta nimis, celſi ſub fornice Templi,
Machina, quam lati vexilli pompa coronat.
Millia circumdant feretrum; Regale cadaver
Millia conflagrant ardentia lumina circùm,
Mille faces ardent, tædarum millia fumant.
Extenſæ nigræ chlamydes à mœnibus altis
Pendent, atque nigris ſqualleſcunt mœnia vittis.
Quid referam varia hàc, illàc pendentia muris

Elo-

Elogia, epigraphes, luctus? Encomia laudum
Quidve canam? Suspensa tholis quid schemata dicā?
Atratus Templi squallor, monumentaque vitæ,
Exequialis honos, magis & Regale Cadaver
Dura vel, ad largum compellunt lumina fletum:
Mœniaque ipsa Ædis mœstæ, tot signa doloris
Dum tolerant, sociis lacrymis deflere videntur.
 Confluit adductis sociis Urbs tota, ruitque
Cum Populo plebs impatiens, & Templa subire
Quisque avet, atq; alios alius pro viribus urget:
Ipsa tamen nequeunt expleri corda tuendo.
Hinc quia, vasta licèt, capiendis Templa phalangi
Haud sunt, ante fores armato milite complent;
Ut Populum possint hastis cohibere ruentem:
Tanta aderat subito numerosæ copia gentis;
Et CLEMENTINAM devotio tanta videndi!
 Tertia ubi æthereum fermè peragraverat axem
Lux nitido Cœlo, sacrum Regale Cadaver
Ædis Apostolicæ ex adytis ad limina Petri
Fertur. Magnificæ quis plenè insignia pompæ,
Quis satis excelso splendentia lumina cultu,
Quisve triumphales illius lucis honores
Explicet, aut valeat complecti tanta loquendo?
Urbs iterùm congesta ruit: se quisque morari
Nil patitur, trahiturque volens; lætusq; triumphat
Sit CLEMENTINAM sibi copia facta videndi.
 Ite parentatum spargentes fletibus ora

(Inquit Roma dolens) Inopes vos ite, Parenti.
Magnates Populi repetunt, Proceresque vicissim:
Urbis miraclum, Virtutisque omnis Imago
En tumulo dandum defertur: surgite eamus:
CLEMENTINA sibi hæc fieri Regina meretur.
Hinc Populus, Proceresque simul, quà limina Petri
Ædis Apostolicæ à Templis absentia distant,
Jam fora, jam plateas, jam compita mille viarum
Complent; perque vias subsellia mille locantur.
Vix se Roma capit, Populus sic totus abundat;
Cunctorum Procerum sic copia tanta coivit.
  Transfertur tandèm, Populo spectante, Cadaver;
Cum face quisque suâ, numeroso lumine, corpus,
Urbi quantus inest, longo satis ordine Clerus
Præcedunt, mœsti faciem, lugubre canentes.
Ut videt excelsum feretro Regale Cadaver,
Et charum pignus Populus: discernere nescis,
An lætus doleat, capiat vel gaudia mœstus (1).
Hic dolet illacrymans; plausum facit ille triumpho.
Hic CLEMENTINÆ sese commendat: & ille
In CLEMENTINA spem collocat; atque salutis,
Supplicibus votis, donum speratque rogatque.
I decus, i, nostrum: melioribus utere fatis
(Ille ait) atque Deum nobis orare memento:

Va-

(1) *Corporis elatio conjunctam cum mœrore lætitiam affert.* (*Gregor. Nazianz. Orat.* 4. *adverf. Jul.*)

Vade, triumphalem Cœli ſuper aſtra Coronam
Accipe, & Æternis niteat tua gloria Regnis.
Hoc tibi vectigal perſolvit Roma doloris;
Hos tibi cum lacrymis CLEMENS mādavit honores.
Nam perſolvendi exiſtunt hæc, arrha triumphi,
Quem tibi deſcriptæ Sanctorum ritè beatis
Faſtis, non hinc poſt multò Caput Urbis, & Orbis
Reddet: perque omnes ibit tua gloria gentes.
Cetera quid referā? Narrē quid ſingula? numquàm
Funebres ſimiles vidit Libitina triumphos.
Quis mihi Mauſoli factas pro funere pompas
Nunc referat? Taceat vel tellus thuris abundans
Ipſa ſuum morem ducendi funera; quamvis
Quidquid thuriferis ſpirat Panchaja ſilvis,
Quidquid odoratus longè blanditur Hydaſpes,
Quidquid ab extremis ales longæva Sabæis
Colligit, Herois letho hæc inſumat in uno;
Corpuſque Exanimis nabathæo involvat odore,
Inque rogum buſti gemmarum pondera fundat.
Pro CLEMENTINA viſa eſt ſe vincere Roma,
Magnificumque omnem celebrandi funera morem
Vincere; præteritos quin vincere quoſq; triūphos:
Tanta fuit pompæ ſpecies, majorque videri
Se voluit, plaudens ſepteno colle triumpho.
Numquàm lætitias cepit ſic mœſta; nec unquàm
Læta dolens triſti junxit ſua gaudia luctu.

Summa tibi tandē, CLEMENS, ſit gratia: ſemper
Munificæ dextræ laus ſit, quo Principe Romæ,
Jam tibi, jam ſibi, CLEMENTINÆ in funere, compar
Eſt tantus decretus honos, jam dignus utroque,
Et magnâ dignus Româ: quodammodo jure
Ut verè Auguſtis effulſerit Illa decoris
Exequiis Defuncta magis, quàm viva nitenti
Fulſerit in Solio: Tanto Illa eſt lata triumpho,
Tantiſque officiis decorata eſt pompa Feretri.
Materies cantus aliis ſit maxima cura,
Qua Domini Eccleſiam paſcis; vigilantia ſumma
Qua regis, atque Themi non inferiore gubernas.
Magnificas Ædes, atque alta Palatia cœlo
Multa canant alii, plateas, & ſtrata viarum;
Atque novam fermè factam, Te Principe Romam:
Aut alia extollant laudis monumenta perennis
Millia, ſuprà omnes laudes. Ego Regia dona
Atque ſepulchrales pompas ſumptuſque ſuperbos,
Largâ ita dextrâ, CLEMENTINÆ in funere, dicam.
Nulla dies unquàm memori te diluet ævo;
Nulla hujus laudes adiment oblivia facti.
Noſtra ſtupens ætas alii; venturaque poſthàc
Venturæ ætati referet: Te Principe Romæ,
Sumptu ita largo, CLEMENTINÆ in funere acerbo,
Regifico fuerit cumulatus more triumphus.

De

De pompâ Funeris, & Translatione Regii Cadaveris.

EPIGRAMMA.

QUis novus Urbis honos? Celebris quæ pompa triumphi?
Cujus in adventu lumina tanta micant?
Occurrunt Pueri, Populus, Proceresque, Ducesque;
Impatiens proprio limine quisque ruit.
Anne triumphales, nimiùm trucis hostis, ut olim,
Palmas, septemplex maxima Roma gerit?
Ponè catenatos traheret cum curribus hostes,
Exultans, inquis, sic capita alta levat.
Falleris: hic præsens, Româ plaudente, triumphus
Victorum vincit prisca trophæa Ducum.
Tunc furor, hìc pietas; cordis pietasq; trophęũ hoc
Nobilius, pompâ splendidiore, facit.
Istius Augusti, si nescis, pompa triumphi
In CLEMENTINÆ funere facta nitet.
Talis honos fertur, CLEMENS cui mandat honorẽ(1):
Cultores Fidei tanto in honore micant.
Noscite longinqui: quantũ, hoc sub Principe, virtus
Excolitur; quantis plausibus estque Fides.

EPI-

(1) *Sic honorabitur, quemcumquè voluerit Rex honorare. (Esther. 6.)*

EPITAPHIUM.

I.

ET gemitus corda eructent, dent lumina fletus:
 Urbis, in hoc tumulo, gloria quanta latet!
Saxo cum jaceat quin CLEMENTINA sub isto;
 Clauditur in tumulo hoc Urbis, & Orbis honos.

II.

Hìc est, quæ nituit virtutum sede suarum:
 Hanc Reginam quisnam ergo fuisse neget?

III.

Vistula me genuit: tenuit me Tibris; & iste
 Nunc tenet: en possum dicere, Tibri Pater.
Major uter fuerit, num vis cognoscere Lector?
 Primus me terris edidit, iste Polo.

IV.

En hìc illa jacet, totus cui viluit Orbis,
 Femina: nunc autem Regna beata tenet.
Summè prudentem quis non hanc dixerit? Illa
 Namque Polum terræ prætulit, astra solo.

V.

Quam Tellus miratur adhuc, mirantur & astra,
 Hìc CLEMENTINÆ psalma stat: ergo colas.

Re-

Religio, & Justitia.

E L E G I A.

Rel. CUr quoq; chara nimis sẽper, Tu dura fuisti,
Concilii consors, in mea damna, Soror?
Cur CLEMENTINAM fato, florentibus annis,
Viribus es totis Tù quoque nixa, rapi?
Num decori quanto nobis erat Illa, latebat?
Gloria vexillis quæ foret Illa meis?
Ergo dumtaxàt nobis dispendia dantur
Usque adeò; ac Fidei tollitur omne decus?
Quò tibi longus amor nostri, Themis alma, recessit?
Fare age: quòve abiit tam cito cura mei?
Quis Te tunc æstus rapuit, quive impulit ardor;
Ulla, ibi ne Pietas proxima, verba daret?
Quis mihi magna adeò reparet dispendia; posthàc
Ut splendor vigeat noster, ut antè fuit?
Quis mihi?... *Just.* Prolixas nimiũ non jure querelas,
Chara Soror, miscens irrita verba, facis.
Quid tibi cum lacrymis? Spargis quid fletibus ora?
Longùm quid mœrens irrequieta gemis?
Quid? Lætæ Ecclesiæ lucrum, dispendia ducis?
Debita Cœlorum præmia, damna putas?
Lætitiæ magnæ potiùs, quàm causa doloris
Sunt CLEMENTINÆ funera: tolle caput.

Exul-

Exultat Cœlum, Seraphim cohors læta triumphat,
  Tali gaudentes funere: Tuque gemis?
CLEMENTINA diù Cœlo, florentibus annis,
  Ematuruerat: debuit ergo legi.
In terris vixit ſemper quæ pauperis inſtàr:
  Divitiis Cœli debuit ergo frui.
Huic obitum ſimilem, mortem nè dixeris eſſe:
  Mors hæc, Divino munere, vita nova eſt.
CLEMENTINA Polo vivens jam mortua non eſt;
  Cœleſti effulgens lumine vivit adhuc.
Religionis honos Nati cum Patre ſuperſunt:
  Hi tibi ſplendoris ſunt ſatis: ergo ſile.
Quin tibi Natorum ſi cordi eſt maxima cura;
  Siſte, Soror, lacrymas illicò, ſiſte tuas.
CLEMENTINA rogans Cœleſti Numine coràm,
  Iis firmi faciet, ſit diadema throni:
Utque feros quatiant pia Cæſaris arma Paganos;
  Et palmas victo Cæſar ab hoſte ferat.
Tunc Tibi, conſiſtunt ubi nunc Delubra prophana,
  Templa aderunt; Domino thuraq; ſacra dabunt.
Et thymiama tibi redolens per Templa cremantes,
  Nubibus obvolvent, inficientque diem.
Sunt hæc Divinæ (neſcis?) oracula mentis;
  Amodò concipies gaudia: tolle animos.
Amodò conſpicies Aquilas, Cœlo aſpice, toti
  Ægeo jura mari ponere: tolle caput.

Viſtu-

Vistula Regium Poloniæ Flumen, & Tibris.

E L E G I A.

Vist. ERgone tam celeri cursu, florentibus annis,
CLEMENTINA, mei gloria prima soli,
Occidit (heù mortis numquàm medicabile vulnus!)
Occidit ad ripas, Tibris amice, tuas?
Sic cito, me miserũ! (quantus dolor anget in annos!)
Mors fera Polonis abstulit omne decus?
Altera quæ mulier posthàc tam clara per Orbem
Ipsius, atque meum nomen ad astra feret?
Currite plorantes ad cærula, currite lymphæ:
Et currat lacrymis grandior unda meis;
Currite præcipites, lymphis plorantibus undæ;
Et nostri luctus ferte tributa mari.
Exuperent ripam lacrymosa fluenta per omnem;
Atque fluat mœstis mœstior unda vadis.
Currite, ferte meos... *Tib.* Ad quid suspiria tãta hęc?
Siste tuas lacrymas, Vistula, siste meas.
Vist. Interiere mihi prorsùs mea gaudia. Cur non
Raucisonis undis ad mare mœstus eam?
Interiit, tota interiit mea gloria. Cur non
Lugens flebilibus murmuret unda vadis?

Cur non Tibri fleam? Cur non laxentur habenæ
Fletibus? Et lacrymis plenior unda fluat?
Ne incuses Tibri fletus: nimis alta fuere
Damna hæc: quin lacrymis compatiare meis.
Tib. Compatior lacrymis; nec damno, Viſtula, fletus:
Tanto percullſus vulnere, juſta gemis.
Quas Ego tunc lacrymas, quos volui gurgite fletus?
Quaſve tulit triſtes turbidus imber aquas?
Sed quid adhuc lacrymæ? Plorato funere in iſto
Sat lacrymæ ex oculis exiliere tuis.
Solius numquid periit tua gloria? Solos
Numquid Polonos afficit iſte dolor?
Occidit an non & ſecum mea gloria? Quantum
Heu! quantum nobis illa decoris erat!
Quamquã quid dixi? Decus occidit Urbis, & Orbis:
Namque amor & ſpecies Urbis, & Orbis erat.
Viſt. Sollicitas Tibri curas lacrymaſque memento;
Dum tibi depoſui pignora chara mea.
Corde metum expuleram tradens; rursùſq; timebã:
Solliciti res eſt plena timoris amor.
Ah quoties plorans dixi, Tibris optime, ſerva
Depoſitumque tuum, deliciumque meum.
Hanc tibi commendo Natam pignuſque: videbis,
Adverſæ nequid ſortis in illa cadat.
Parce metu (Tibris dixiſti) Viſtula parce;
Ne timeas: fuerit maxima cura ſui.

Tib.

*Tib.*Quid facerē? Indocilem flecti num vincere mortē;
Vincere vim fati vis ne creata poteſt?
Ægra laborabat SOBIESKI abſumpta tenaci
Languore; atque ardor febris acutus erat.
Pontificis Summi juſſu, faciliſque volenſque
Cum ſubito Urbs ſupplex in pia vota ruit.
Quæ tunc Cœlorum Domino non thura cremavit?
Vota rogans cœlo non dedit atque preces?
Sed CLEMENTINAM cœlorum Regna manebant:
Hinc Urbis nihilum vota preceſque juvant.
Poſtque aliquot luces Latii diſceſſit ab oris;
Atque brevis vitæ tempore functa ſuæ eſt.
Quis referat Procerum luctus, lacrymaſq; dolentū;
Queis CLEMENTINÆ funera quiſque gemit?
Triſtantur Cives; vulgus Populuſque videntur
Juſtitium veluti triſte ſubire ſuum,
Urbs tunc ſic doluit, molles lacerata capillos;
Viſa ut ſit numquàm condoluiſſe magis.
Vidiſſes mœſtos Urbis per compita Cives
Mœſtitiam triſti fronte referre ſuam.
Plorantis Populi lacrymas, fletuſque gementum
(Aſſiduo mœſtis imbre cadente genis)
Oribus ad ſummum plenis tunc ipſe duobus
Vix cepi: gemitus copia tanta fuit.
Non ſecùs, ac quando dilapſis æthere nimbis,
Alti torrentes montibus atque cadunt:

Vicinis videor, gemino velut ore feroci,
Dira reluctanti bella ciere mari:
Sic tumidus lacrymis, lymphas, ſpumantibus undis
Atque reduntanti margine utroque, tuli.
Sola ejus ſpecies, vultus, notumque Cadaver
Ex oculis lacrymas fundere quemque jubet.
Quid referam mœſtæ pompæ ſpectacula; viſa eſt
Queis majeſtatem vincere Roma ſuam?
Viſtula, tanta fuit Regalis pompa feretri;
Roma ipſa ut numquàm viderit ante parem.
Credideris Cives potiùs celebrare triumphum;
Tantus communis plauſus in Urbe fuit.
Funeris Urbs tantâ pompâ, non fata peremptæ
Viſa eſt; ſed feſtum tollere ad aſtra ſuum.
Non ſecùs, ac Cœli Sanctorum laudibus Illam
CLEMENS Auguſto ſcripſerit ante ſono:
Olli ſic ſe commendat, ſic quiſque veretur,
Sic CLEMENTINAM, fronte cadente, colit.
Viſt. Hæc tua tota fuit celebrati pompa triumphi,
Tibris; & in pompâ gloria tota tua eſt.
Triſtis, inexpletum lacrymans, Polonia Mater,
Mœſta oculos, vultus, & laniata genas:
De CLEMENTINA quoties fit mentio, plorat:
Scis cur? Omne decus plorat abeſſe ſuum.
Tib. Gloria tota mea hæc fuerit? Polonia Mater
Quin magis ipſa poteſt dicere: tota mea eſt.

He-

Heroum fecunda Parens Polonia, Romæ
  Hæc duo SOBIESKI pignora habere dedit.
Alter ALEXANDER, CLEMENTINA altera: in Urbe
  Proh fuperi! amborum gloria quanta nitet!
Sed fera mors ambos rapuit, florentibus annis;
  Cruda, juventutis tempore, utrumque tulit.
At morti parcas: tantas, vel florido in ævo,
  Virtutes numerans, credidit effe fenes.
Quid verò? virtus amborum nefcia fati
  Vivit; & æternum vivet in Orbe decus.
Tantâ cum famâ moriens hic Sarmata uterque
  Telluris matris nomen ad aftra tulit.
Sarmata fublimi femper pietatis honore
  Splenduit; inque dies fexus uterque micat.
Parce igitur lacrymis, triftifque expelle doloris
  Signa, & lætanti vertice tolle caput.
A flendo abftineat Mater Polonia: Mundo,
  Quà patet, in toto gaudia flere vetant.
Avertat lacrymas oculis: quin læta triumphis,
  Plaudo meis ficut, plaudat & ipfa fuis.
Extollatque caput vaftum turrita per Orbem;
  Morte hac nam major gloria facta fua eft.



Me-

Melibœus , & Mopſus .

E C L O G A .

Mel. MOpſe , quis inſolitus triſti de pectore fletus
Erūpit ? Mçſtuſq; genas vultumq; decorū ,
Incomptuſque comam , fundis ſuſpiria ventis ?
Cur potius læti (quoniam convenimus ambo)
Non canimus fœtas noſtras de more capellas ?
Quis tanti luctus ſtimulus ? quæ cauſa doloris ?
Num quia dirus heri prædo Lupus abſtulit agnam,
Nunc te tantus habet mœror ? Paſtoribus iſtud
Contingit , ſcis , ſæpe malum . Concede parumpèr
Hùc mecum , atque ambo carmen rurale canamus :
Alternis cantemus ; amant alterna Camenæ .
Naſcentur multæ fœtis de matribus agnæ .
Mop. O Melibœe inter ſocios chariſſimus omnes ,
O mihi fraterno ſemper dilectus amore ,
Triſtitiæ cauſam ſi tu quoque noveris ; & tu
Triſtis eris , mœſtuſque trahes de pectore queſtus .
Non ſublata Lupo tanti eſt mihi cauſa doloris
Agna : ſed erranti in ſilvâ fuit obvia planta ,
Quæ mihi præſefert ſemper monumenta doloris .
Mel. Num populata ſuis malus pulcherrima pomis,
Quam tanto ſtudio vigilans ſervare ſolebas ?

Mop.

Mop. Non malus, populata licèt, Meliboee, dolorem
Hunc faceret. Legi nuper mœstissima verba,
Quæ tribus hinc annis cælavi in cortice fagi,
Cum lacrymis scribens magnis: & littera rimas
Servat adhuc, sicco nec se diducit hiatu.
Mel. Et mihi verba feras hęc quamvis mœsta, dolori
Sint licèt illa mihi: socium juvat esse doloris.
Mop. Jam duplex transivit hyems, & tertia jamjam
Labitur (ipse tenes) quò CLEMENTINA, suarum
Virtutum quæ laude solum repleverat omne;
Atque ævo flavens viridi, lætoque juventæ
Flore, diem clausit moriens (heu semper acerbum
Tali morte diem! necnon lacrymabile vulnus!)
Atque ego cum lacrymis tanti monumenta doloris
Ancipiti ferro scribens in cortice fagi,
In signum tanti luctus, hæc verba notavi:
CLEMENTINA diem clausit Regina; Puellæ
Pastoresque omnes, Dryades, & candida Nais
Ploremus: Romanæ Urbis decus omne recessit.
Forte vagans hodie verba hæc in cortice legi.
An non est casus tantus plorandus? Et omni
Non dignum est fletu tantum lacrymabile vulnus?
Mel. Certè est, Mopse, tui justissima causa doloris,
Jam memini (multo quamvis hinc longius essem)
Quantum vel pecudes ipsæ sensere doloris.
Accipe (vix credas) nulla illis mœsta diebus

Ivit

Ivit ovis campos, vel graminis attigit herbam:
Audiſſes raucas longo ſtridore palumbes
Obſtrepere, & triſti longos dare gutture fletus;
Nec gemere aereâ ceſſavit turtur ab ulmo.
Rebar ad extremum Mundum properare dierum,
Extremumque malum non longè fontibus eſſe:
Nubibus obducto latè tot fulgura cœlo,
Crinitique fero aſpectu micuere cometæ.
Cum CLEMENTINAM, ſummũ decus Urbis & Orbis,
Fatales iniiſſe vias; ſuſpiria corde
Multa trahẽs lacrymãſq;nimis, mihi rettulit Alcon.
Mœſtæ, tunc dixi, te CLEMENTINA bidentes,
Ipſi amnes mœſti triſti te murmure flebant,
Mœſtaque te flebat turtur, flebantque palumbes;
Teque vel axe Poli triſtes flevere cometæ.
CLEMENTINA decus Romæ, nova gloria terræ,
Totius Orbis honos, poſtquàm te fata tulerunt,
Quanta boves funeſta lues obrepſit in omnes!
Mop. Juſtum erat, ut quæ ſe vivens ſuper aſtra ferebat,
Nedum terra omnis, plorarent aſtra peremptam.
Mel. Quis fuit Urbe dolor? Tumuli quæ pompa decori?
Et quibus exequiis tulit Urbs Regale Cadaver?
Mop. Narravit Lycidas (Urbem nam nulla videndi
Tunc mihi cura fuit; nec poſthàc amplius Urbem
Ipſe adii: quondàm pecudes agnoſque ferenti
Ære gravis multo quamvis mihi dextra rediret:)
(Quo-

(Quomodo namq; Urbē ſubeam, cum nulla videndi
Spes CLEMENTINAM reſtet? quæ viva petenti,
Dum Chriſti Eccleſias, Mariæ vel Templa ſubiret,
Obvia ſæpe fuit: celerem nec corda ferebant
Inde referre pedem: (tantâ virtute tenebat.)
Ergo narravit Lycidas, narravit Amilcon:
Indutam vili tunicâ, Monialis ad inſtar,
Se, ſine pompâ ullâ, tumulo mandaſſe ferendam.
Non tulit hanc ſpeciem, cui maxima CLEMENTINÆ
Cura fuit ſemper, titulo ter maximus omni,
CLEMENS; Eccleſiæ in terris qui præſidet omni.
Illi, Regifico juſſit de more, parari
Exequias,chlamydēq; dedit,ſceptrumq;coronamq;
Indutamque togâ auratâ, Regnantis ad inſtar,
Ad tumulum ferri voluit: Populoque ſequente,
Exequialis honos plauſu ſic ſplenduit: Illa
Ut magis in feretro, verè Regina coruſcans,
Quàm Solio fuerit, tali comptiſſima cultu:
Viderit & numquàm ſimilē Tibris ipſe triumphum.

Mel. O mihi quanta refers rerum ſpectacula, Mopſe!
Ambo cantantes igitur de more capellas,
Fac reſonent cantus noſtri dulcedine ſilvæ;
Et CLEMENTINÆ laudes ſuper aſtra feramus.

Mop. Carmina nulla canam; non me cantante, capellę
Arbuſti teneras frondes carpetis, & herbas:
Prodeat & ſiquod carmen, cum carmine cantus

Non nisi tristis erit, cumulans in corde dolorem.
Mel. Mopse erras, durusque meis his vocibus, ipsis
Durior es silvis, quæ nostro carmine vivam
Hanc CLEMENTINAM quondàm resonare solebant.
Quid tibi cum lacrymis? Cœli nam sedibus altis
Vivit adhuc, multò nobis felicior Illa:
Corporis exuviis hujus spoliata, coronam
Virtutum retulit, tantis & præmia factis.
Hasce tuas potius lacrymas, vel signa doloris
Mœsta hæc, quàm laudes tantisque encomia factis
Debita, grata putas? An non plausisse triumphis
Ipsam vel Romam, priscum super omne trophęum,
Fassus es ipse, suis? Numquid Virtutibus ejus
Tu parcus fueris, laudisque tenacior omnis;
Dum cantabat heri Corydon, cantabat Alexis?
Cantemus laudes ergo, cantemus honores;
Et CLEMENTINÆ nomen super astra feramus.
Mop. Fas loqueris, Melibœe comes: do carmine cantum
Atque libens cedo: sed quæ sublimia factis
Carmina digna ejus pangam, quę clara per omnem,
Altera Luna velut splendens, sese extulit Orbem?
Mel. Mopse, licèt durum, laudis rurale canamus
Alternis carmen: carmen pietate probatur.
Quamquàm non fuerint sic contemnenda, Poesis
Quę tua, Mopse, dabit: Nam olim dū viva manebat,
Ipsam cantabat dulci tua fistula cantu:

Et

Et dum cantabas (nam tu cantare peritus
Dulce equidem refonas; nec te Tymbræus Apollo
Poft quemquam pofuit) raptæ dulcedine cantus
Naiades, Dryadefque omnes audire folebant.
Non humili furgant igitur tibi carmina cantu;
Atque infles doctam, folito de more, cicutam.
Mop. CLEMENTINA, tuis quodnam rurale fupremis
Par meritis carmen fuerit? Quæ fiftula cantu
Sit potis eximias laudes æquare canendo?
Nos tamen hęc, quocumq, modo, tibi noftra viciffim
Carmina dicemus comites. Silveftria quamvis
Excipe devotæ modulantis carmina mufæ:
Et qui parva ferunt, nofcis, meliora daturos
Si poffent; ferrentque tuum fuper æthera nomen.
Mel. O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus &, quantum fat erit tua dicere facta!
Optabam, dudum eft: O fi mihi venerit umquàm
Illa dies, mihi cum liceat tua dicere facta!
En venit, atque licet totum mihi ferre per Orbem,
CLEMENTINA, tuum nomen, tua dicere facta.
Surgite non humili mihi carmina furgite cantu,
Omnibus & filvis audiri digna feratis.
Incipe, Mopfe, prior fed tu perfolvere laudes,
Incipe: pafcentes fervabit Tityrus agnos.
Mop. Incipio, focianfque tuum, do carmine cantum:
Ut decori vites ulmis, ut vitibus uvæ,

Arboribus flores, fegetes ut pinguibus arvis,
Utque agnæ gregibus, vitulæque ut matribus albę:
Clementina decus Natis, & gloria Regi.
Mel. Ut ftabulis pingues vituli, vitulifque juvencę,
Ut lacubus pifces, fquammofæ ut pifcibus alæ,
Utque avibus plumæ, tectifque cecropia Hirundo:
Clementina fuis clariffima gloria Natis.
Mop. Alveariis ut apes, pecudes ut ovilibus; agris
Ut molles herbæ, platanique ut collibus altæ,
Utque rofæ violis, violaria rofcida pratis,
Palmitibus botri, ftipulis cerealis arifta
Maturis; ut poma pyris, ut punica malis
Grana; volans filvis turtur, pinnifque columba:
Clementina fuis clariffima gloria Natis,
Jacobo Sponfo clariffima gloria Regi.
Mel. In lucis laurus pulcherrima, lilia in hortis,
Ruribus Urbanis frondens pulcherrima buxus,
Montibus affurgens pulcherrima cedrus in altis:
Cœlefti at fpecie nunc, Clementina, nitenti,
Ruribus Urbanis frondens pulcherrima buxus,
Montibus affurgens pulcherrima cedrus in altis,
In lucis laurus cedunt tibi, lilia in hortis.
Mop. In filvis pulchrę Dryades, hilarefque Napææ,
Naiades, celebrata Pales, triplexque Diana;
Eoo rutilans formofus Phofphorus axe:
Adjunctæ fuperis aft, Clementina, beatis;

In

In ſilvis pulchræ Dryades, hilareſque Napææ,
Naiades, celebrata Pales, triplexque Diana,
Eooque nitens cedit tibi Phoſphorus axe.
Mel. Dum Libano excelſæ cedri, dum littore arenæ;
Dum flores hortis, dum candida lilia campis;
Aera avis nitidum, fluvios dum piſcis amabit:
Semper honos, nomenq; tuum, laudeſq; manebunt.
Mop. Montibus ante imæ valles, aut vallibus umbræ,
Aut umbris rivi deerunt, aut murmura rivis,
Quàm noſtro Illius labatur pectore imago.
Mel. CLEMENTINA è Cœlo adſis, & ovilibus iſtis
Eſto libens præſens, & munera reſpice noſtra.
Plurima certatim læti tibi lilia plenis
Ecce ferunt Pueri calathis: tibi pulcher Alexis
Ecce legit violas, quondàm tibi munera grata.
Mop. Fundite ab eoo lacrymatam cortice myrrham,
Spargite humum violis, Pueri; præcingite Sertis
Haſce aras; date thura focis, date balſama crini.
Mel. CLEMENTINA, tuis altaria bina quotannis,
Tantis tollemus meritis, laudeſque canemus.
Mop. Poſthàc ſemper erunt, meritas qui dicere laudes,
CLEMENTINA, tuas ſtudeant, & facta referre.
Serva Tu pecudes poſthàc, pecudumque magiſtros.
Mel. Auſpice te nobis, cœli de parte ſerenâ,
Hortis non flores deerunt, nec vallibus herbæ:
Fecundis gravidis flavebit campus ariſtis;

Preſſa

Pressa gemet pendens uvarum pondere vitis;
Nec mala prægnantes pecudes contagia lædent.
Mop. Tristia lugubri deponite carmina cantu,
Pascite, ut ante, boves, Pueri: tutabitur istos
CLEMENTINA, lues nec plus obrepet in illos:
Hosque ego cælabo versus; ut carmina si quis
Captus amore leget, societ modulamine cantum:
CLEMENTINA *boves, pecudes, servavit, & agnos.*
Pro meritis igitur justas persolvite grates,
Solvite Pastores laudes, cantate vicissim:
CLEMENTINA *boves, pecudes servavit, & agnos.*
O mihi si posthàc tantum satis oris adesset,
Hoc ut pro merito laudes persolvere possem!
At meliore chely melius cantabitis illud
Arcades, & dignum nomen super astra feretis:
Atque hìc cantabit Corydon, cantabit Alexis.
Mel. Haud equidē nemorale sonas, nec carmina agrestis
Te modulata probant cantus. Sed desine plura;
Jam Sol mergit equos, jam pallent montibus umbrę.
Mop. Desine non humilem, mea fistula, desine cantū.
Sat cantus modulisque datum: sat carminis esto.
Spero, non multò posthàc, cantabimus Illam;
Sanctorum fuerit cum fastis scripta beatis.
Ite domum saturæ, nox advenit, ite capellæ.

De-

De Laudibus

MARIÆ CLEMENTINÆ.

PANEGYRIS.

HActenùs exequias, celebresq;ex funere põpas,
CLEMENTINA,tuo,tenuis modulamine musæ,
Diximus; ac mœstæ lacrymas sociavimus Urbis.
Nunc ò, nunc fletus tristes vos ite; querelæ
Ite; piæ lacrymæ, mœstæque insignia pompæ
Ite procul. Major rerum mihi nascitur ordo;
Majus opus moveo: laudes post funera dicam.
Egregias sed quis laudes Virtutis, & altos
Quos merita es semper summos,celebrabit honores?
Quisve adeò sermone potens; cui fluminis instàr
Ingenium par est; cui copia tanta loquendi?
Viribus his major modicis, & Pallade nostrâ
Major es; exiguâ nostrâ majorque Thaliâ.
  Religio tu Diva mone, tu Numine magno
Diva tuo Vatem præsens afflare memento.
Dic CLEMENTINÆ Fidei quis zelus! amantis
Quæ pietas animi! devotio quanta! supremum
In Dominum quis cordis amor,studiumq; perenne!
Quis calor orandi superos! in pectore quantus
Cœli ardor! quanto flagrabant pectora voto;
Ut

Ut plenè à cunctis fieret Divina voluntas!
Ante pedes Domini deflexo poplite supplex,
Fer Tu, quot lacrymis ac fletibus ora rigaret!
Quotque diù noctuque rogans absumeret horas!
Quàm sibi sorderet Tellus! Cœlestia quantùm
Appeteret! cuperetque rogans ex corpore solvi!
Tu secreta feras nobis. Ego publica dicam.
Publica sed quænam Illius, quæ cuncta tegebat?
Quamquàm quid secreta voco, quæ Solis ad instar,
Qui Mundi lucem, radios celare nitentes,
Vel velit ipse, nequit: nubes licèt invida contrà
Obsistat; nubemque inter splendetque nitetque?
Sic CLEMENTINAM, Solem virtutis, & Urbis,
Totius imo Orbis miraclum, splendida nobis;
Non velit Ipsa licèt, demonstrant facta. Nec Illam
Abdita cella juvat, fuerit vel nubis ad instar;
Quin vitæ probitas, Româ spectante, niteret.
Luce palàm, Populo quæ non celare valebat,
Ex visis Ego pauca loquar. Sed pauca vel inter
Cærula, naufragii pallet Ratis ista timore;
Mergitur & fermè paucis, vel littore in ipso,
Naufraga puppis aquis. Quid, si nimis alta teneret,
Et maris immensi, remis audacibus, undas
Tentaret temerè? Tu CLEMENTINA secundos
Da flatus, ventosque meis da prospera velis;
Perque tuum mare decurrentis dirige gressus.

O quam

O quam te memorem, *CŒLI, QVÆ VERTICE LAPSA ES*
INSTRVERE EXEMPLO GENTES, HOMINESQVE DOCERE:
AVT CERTE' IN TERRIS ADERAS CŒLESTIS IMAGO!
Candoremne prius mirer, vitæque nitorem,
Munditiemque animi, qua vel Cœleſtibus ipſis
Æmula vivebas terræ? Vel Matris amorem
Virginis; aut Nati, lacrymas in vulnera dicam?
Hùc, ubi Divinus Panis proponitur, Illa
Advolat, ac manibus junctis & poplite flexo,
Aut cadit in faciem; tollit vel lumina ad almas
Cœleſtes epulas. Superi, proh qualis in Illas
Fertur amans tenerè, quantùmq; immobilis hæret!
Senſibus amiſſis, veluti ſubſtantia ſimplex
Altera cœleſtis ſpectantibus eſſe videtur:
Tantus ineſt ardor menti, ſive ecſtaſis Illam
Abripit; ac, cera admoto velut igne, liqueſc it.
Cernite mortales, charone tenacius hæret
Aut Magnes ferro? Recto vel lumine Solem
Num Clytie magis aſpectat, ſequiturque petentem,
Veſpiliove facem, donèc facis igne crematur?
Hanc videt in Templis orantem Roma, ſtup enſque
Num ſine carne Illa eſt (1); vel de cœleſtibus unus,
Inquit, ſpiritibus Cœlo eſt delapſa? Videntque
Orantem Proceres, demiranteſque ſequuntur,
Exemplo eximio necnon virtutibus, omnes

(1) *In carne ambulantes, non ſecundùm carnem militamus.* (2.ad Cor.c.10.)

Quos trahit Illa ſuis . An non velut altera Sponſa
Dicere jure poteſt Sponſo , non ſorte minori :
ME TRAHE : POST TE CURREMUS ? Romana Juventus
Illius exemplo melior non facta vireſcit ?
Dixerit Eccleſiæ vel Paulus Apoſtolus ipſe ,
Tempore quippe ſuo:quod Femina nulla doceret(1).
CLEMENTINA autem nequicquàm hac lege tenetur ,
Ipſius ut zelo fuerit velut irrita . Numquid
Non docet Illa Urbem totam ? Num facta Magiſtra
Non docuit Romæ Proceres ; ut dicere poſſis
Præclari Illuſtres generis , vel mortua , plures
CLEMENTINA docet,doceant quã Pergama Romę!(2).
Sæpe Urbis Primos languentum viſere turbas ,
Officiumque illis miræ pietatis habere ,
An non , exemplo aſſiduo præeunte potenti ,
Reginæ monumenta docent ? Deponere faſtum
Vel magnis natæ Soliis , vulgaria plebis
Indumenta palàm Populo geſtare ; togaſque
Et chlamydes uſu tritas veſtire ; recenti
A CLEMENTINÆ exemplo non oppidò diſcunt ?
Moribus Illa etenim propriis vitæque nitore
Quem non inſtrueret? quem tantùm ſuada Magiſtra
Non doctè imbueret Chriſti præcepta Sophiæ ?
Exemplo Regina ſuo virtutis in Urbe

Quan-

(1) *Docere autem mulieri non permitto .* (1. *ad Tim. c.* 2.)
(2) *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens .* (*Prov.* 4.)

Quantus erat ſtimulus! Namquę vel ferrea tandèm
Pectora non traheret pulchræ ad virtutis amorem
Tanta ſuæ vitæ probitas: pulcherrima Virtus
Ad ſe animos ſi quoſque trahit? Suaviſſima viſu
Ipſius in vultu fixiſſe Modeſtia ſedem
Namque videbatur, pietas viſa ipſa. Quis almos
Illius idcircò in vultus obtutus! & altus
Quis ſtupor hinc! Duri in melius prōptiſſima cordis
Quæ metamorphoſis! Niveus quis candor Olorum!
Quæve Columbarum via lactea ubique renidet!
Omnis ad exemplum tantæ probitatis, amore
Virtutis flagrat, divoque accenditur æſtu.
Omnis in hac unâ.... Sed cur hìc ſingula vobis
Commemorē? (meminiſtis enim)celeberrima in uno
Omnia complectar: *Cæleſte exemplar in Urbe*
CLEMENTINA fuit tantis virtutibus (1). *Una*
Omnibus exemplum: *vivendi regula magnis*
Principibus; *mediis vivendi norma Puellis*.
Quas hominum claſſes exemplo, & moribus almis
Non docuit Regina ſuis? *O lapſa docere*
Sedibus è ſuperis Gentes! Huic docta Lycæa
Cedite Athenarum, Peripati cedite: clari
Ite hinc Pythagores, procul hinc atq; ite Platones.
Inclyta SOBIESKI meliorem docta Sophiam,

(1) *Se quodammodo perdere, tamquam qui non ſit, & omninò non ſentire ſe ipſum, & à ſemetipſo exinaniri, & penè annullari, cæleſtis eſt converſationis.* (*Ber. tract. de dilig. Deo. c. 7.*)

Præ Peripateticis, Cynicis præ lusibus una,
Præque Platone sciens, fastigia ad alta Sionis
Tendere, Cœlorum docuitque capessere Regnum.
Quamquàm non doctæ solùm Regina Magistræ
Tanta vices obiit. *Fortis sed Femina*, quanta
Fortitèr Illa adiit: quam blandis Gloria Mundi
Attrahit illecebris nullis; quam nulla merentem
Fascinat ambitio Solii; vel florido in ævo,
Pompaque nulla trahit! Cur non his laudibus ergo
Te CLEMENTINA extollam? *TU FLORE JUVENTÆ
FLORENTEM MUNDUM DESPECTU MENTIS ABHORRES,
ET SÆCLUM CALCAS* (1). Mundi victoria quanta
Parta sibi est igitur! Victus nihilominùs iste
Audeat Illius rursùs subvertere sensus.
Fortior Illa tamen vincit: celeremque quadrigam
Ponè catenatum, Populo pœana canente,
Majori victum cogit servire triumpho.
I nunc, Munde, tuas jactes pleno ore Camillas,
Gorgona, Bellonas, Junones, Pallada, Elisas.
Iverit extenso pharetrata Semiramis arcu:
Innarit Tibrim rescissis Clælia vinclis:
Pugnarit, sectâ dextrâ, tot prœlia, mammâ,
Penthesilea furens, aliæ quoque Amazones omnes,
Scutata æratis ducentes agmina peltis.

Ex

(1) *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* (ad Thess. 3.)
Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. (ad Gal. 6)
Cum in se ipso floreret, jam in ejus corde Mundus aruerat. (Greg. hom. 28.)

Ex iſtis autem quænam ſic fortis in armis,
Ut CLEMENTINÆ valeat ſimilare valorem,
Aut virtute pari victum ſe ferre per Orbem?
Nec minùs iſta ſui, quàm Mundi, Femina victrix
Extitit. Aſſiduò, ſuperi, proh quanta, ſub Urbis
Ipſius aſpectum, demiſſio! quantus in Illâ
Neglectuſque fuit, propriæque oblivio vitæ!
Quàm facilis cunctis! Populi velut infima, quanto
Excipit obſequio ſubeuntes limina Regis!
Et quæ Principibus præerat Regina; quis Illam
Sæpiùs abjectæ vili vel in ordine plebis
Non vidit mediam Templis orare, genuque
Nixo, inter famulos ipſos, ſubſiſtere ad aras?
Ardua ſit Mundũ res hunc contemnere. Tempſit
CLEMENTINA pede attritum. Se vincere, majus
Egregium facinùs. Vicit ſe (1). *Femina fortis,*
Cur non hìc clamem; quin & fortiſſima, cujus
Finibus à longis pretium! (2): fortiſſima nempè
Fecit utrumque pari modulo. Sua noctis in atris
Fax tenebris luxit (3): vigilantis, lumen ad ipſum
Apprehendere manus fuſum (4): quæſitaque lina
Neta

(1) *Fortaſſe laborioſum non eſt homini relinquere ſua: ſed valde laborioſum eſt relinquere ſemetipſum. Minus quippe eſt abnegare quod habet; valde autem multum eſt, abnegare quod eſt.* (*Greg. hom.* 23.)
(2) *Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus* (*in Parab. Salom. c.* 31.)
(3) *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* (*Ibid.*)
(4) *Digiti ejus apprehenderunt fuſum.* (*Ibid.*)

Neta fuere ſibi (1) : contextis denique in uſum
Induit his nudos . Vectoria cymba vel abſens
Mœrenti panem tranſmiſit (2). Plura quid addam ?
(Tanta ejus pietas fuit) Omnibus omnia facta eſt .
Miraris Regale decus ſe munia ad iſta
Dejeciſſe ? Suis manibus , dum ſola manebat ,
(Sola tamen nobis valeat ſi dicier Illa ,
Quæ comitata ſuis ſemper Virtutibus ibat)
Pauperibus ſutas veſtes , & tegmina lini
Largiri : atque etiam propriis ſe veſtibus Ipſam
Non ſemel exuere , ut nudos veſtiret egenos :
Inſuper & peplis oſtri , phaleriſque decoris
Se ſpoliare ſuis , ut Chriſti altaria adornet :
Ipſamque intereà tritæ velamina veſtis
Induere : atque manu , qua nata eſt Sceptra tenere ,
Exonerare colos , & linea ducere fila ;
An non Reginæ tantæ , vel Principe in Urbe ,
Mos hic perſolemnis erat ? Largiſſima ſemper ,
Queis non Urbe ſtipem fas eſt depoſcere ; quoſve
Longa premit macies , quo clam ſtipis ære fovebat !
Pauperis hinc quoties jejuno ventre cadentis ,
Non emptis dapibus ſuffecta eſt menſa paratis ! (3) .
Quid referam vehemens argenti pondus & auri
Nurſino Populo , vaſto telluris hiatu ,

Exhau-

(1) *Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* (Ib.)
(2) *Facta eſt quaſi Navis Inſtitoris de longe portans panem ſuum.* (Ibid.)
(3) *Manum ſuam aperuit Inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* (Ib.)

Exhausto cunctis opibus, quàm maximè egenti,
Impensum? gemmas, phaleras, dextralia, inaures,
Sæpius aut nudo detracta monilia collo?
Extenuata licèt flammis febrilibus artus,
Assiduò quantùm jejunia longa trahebat!
Sæpe videbatur squallescens proxima morti;
Tanta erat in vultu macies: pietate moventur
Astantes: nihil Illa sui. Si funera differt,
Creditur Angelico dumtaxàt vivere Pane,
Esuriem quo sæpe suam pascebat ad aras.
Longo in lethalis morbi languore ferendo
Vis animi fortis, patientia quanta nitebat!
Obstupet ipsa febris. Duris languoribus ipsis
Fortior exultat gaudens. Quid plura? sereno
Vultu post annum mortem videt Illa futuram.
Non sic ad thalamum currens lætata triumphat
Sponsa novum: Regni caperet nec læta coronam
CLEMENTINA, libens solii nec sceptra teneret;
Ut sibi prævisâ lætatur morte propinquâ (1).
Ut gestit gaudens! ut læta, ad sidera palmas
Erigit, atque optat mortali corpore solvi!
Vidisses alacri hac, illac transcurrere gressu;
Non secus ac cervus muscosi ad flumina fontis
Currit, cui pendet lethalis pectore arundo (2).

Fit

(1) *Ridebit in die novissimo*. (*Parab. Sal.* 31.)
(2) *Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus*. (*Psalm*. 41.)

Fit tandèm voti compos, vitamque peractam
Juſtitiæ addictam, felici morte coronat (1).
CLEMENTINA, pari quonam te carmine adęquẽ?
Vel quæ digna tuis meritis encomia laudum
Ipſe canam? Quamquàm quid Solem lucibus ornẽ?
Jam tibi, nota ſatis laudem tua facta perennem
Concinnent, meritique tui faſtigia tollant (2).
Poſteritas te ſera canet: dumque aurea voluet
Aſtra Polus, memori ſemper celebrabere cantu (3).
Te chelys Italiæ ſemper; Te nuncia veri
Fama canet, referetque tuum per ſæcula nomen (4).
Intereà, cui muſa deeſt, cui nulla loquendi
Copia, cui nullâ reſonat dulcedine cantus,
Sufficiat de Te calamo hæc ſcripſiſſe ſupremo:
RE TAMQVAM VILI, VASTI MODERAMINE REGNI
POSTHABITO, COLVISSE FIDEM, SPRETAQVE CORONA:
Hoc ſatis, ut meritum cumulatis laudibus æquem.

VI-

(1) *Qui cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, delectabiliter moritur.* (*Auguſt. in Joan.*)
(2) *Confiteantur tibi omnia opera tua.* (*Pſalm.* 144.)
(3) *Generatio & generatio laudabit opera tua.* (*Pſalm.* 143.)
In memoria æterna erit Juſtus. (*Pſalm.* 111,)
(4) *Memoria Juſti cum laudibus.* (*Prov.* 10.)
Immortalis erit memoria illius: quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines. (*Sap.* 4.)
Cujus memoria in benedictione eſt. (*Eccl.* 45.)
In multitudine Electorum habebit laudem. (*Eccl.* 14.)
In medio Populi exaltabitur, & in plenitudine ſancta admirabitur. (*Ibid.*)

VICTORIA JOANNIS III. *POLONIÆ REGIS*,

Sibi, Filio JACOBO Principe aſtante, parta,

In ſolvendâ VIENNA, *acri obſidione à Turcis vallatâ, fatali eorumdem internecione.*

ELEGIA.

VEnerat Odryſeos, armis inſtructus Eois,
Cerberus, horrendum gutture hiante latrans:
Venerat aſpectum valdè efferus, ora triſulcus,
Sanguineo horribili lumine triſte micans.
Atque VIENNALES agitatas cominùs arces
Æribus atque armis bella cruenta ciet.
Jam catapulta tonat, jam crebris mœnia pulſat
Ictibus, atque Arci plurimus inſtat ovans.
Jamque VIENNA pavet bello oppugnata feroci,
Jam perculſa timet, jam prope victa labat.
Heu pietas! Ergo AUSTRIACIS Domus inclyta petris,
Et Caput Imperii magna VIENNA cadet?

Nec ſatis: hinc hihians ter ſanctã proſpicit URBEM,
Ardet & in Tibris fonte levare ſitim.
Jam cœptum molitur iter, jam ſtare videtur,
Et Capitolino in Colle locare thronum.
Jam victor ſpoliis, prædâque, auroque potiri,
Atque humili ſtatuit ſternere Templa ſolo.
Chriſtiadum turmæ; fortes, heu! currite Reges;
Obſeſsâ & tantam pellite ab Urbe luem.
Currite: Cæſareas Trax barbarus arietat arces,
Muroſque Auguſtos trux catapulta ferit.
Scilicèt Auguſti Imperii quàm ſumma poteſtas
Eoi, in Mauros, Occiduique ruet?
Currite...Quorsũ autẽ trepidus timor occupat artus?
Atque opis auxilium, ſubſidiumque peto?
Sarmaticis oris fortiſſimus ecce JOANNES,
Præceleri innixus quadrupedante volans:
Nec mora: confertos vi totâ invadit in hoſtes,
Et propè victrices mox quatit ore manus.
Ut Leo magnanimus Libycis egreſſus ab oris,
Excutiens armos, excutienſque jubas:
Fertur in adverſas acies; nigraſque phalanges
Diſgregat, & cæſas deiicit ante pedes.
Nec ferrum ponit, donèc proſtraverit Ultor
Tergeminum monſtrum, tergeminumque caput.
Non illi, ut Vates, medicatis frugibus offam
Obiicit: aſt pectus transfodit enſe ferum.

Odry-

Odryſis hinc, cunctis Scythiæ pallentibus aſtris,
  Naufraga ſub proprio ſanguine Luna perit.
I nunc, & victrix murorum ſcande ruinam:
  Everſiſque aris Urbe potire ferox.
I, pete Germanos bello, captamque VIENNAM
  Funditùs evertas, AUSTRIACAMQUE DOMUM.
Sarmaticus Mavors, forti munitus Achille,
  Hæc tibi Sarmaticâ munera ab arce pluit.
I, pete in axe Jovem. Mars Bellicus ecce Polonus
  Auſtriaco hæc præſtat tela triſulca Jovi.
JUPITER AUSTRIACUS ſic fulminat axe Typhæos:
  Sarmaticus ſic Mars Rhinocerota quatit.
URBE, pari bello quondàm pereunte, Camillus
  Sic valido hoſtiles reppulſit enſe manus.
Flagrantiſque diu truculenti incendia belli,
  Atque arſam, Senonum ſanguine, ſparſit humum.
Hac igitur palmâ commendet ROMA Camillum,
  Ipſius & clarum nomen ad aſtra ferat.
Magna, ſuum Martem, laudabit VIENNA JOANNEM;
  Et clarum nomen tollet ad aſtra ſuum.
Ille Redux URBEM ſuffulſit, et Iſte VIENNAM:
  Victor uterque arces ſuſtinuere pias.
Fortior aſt uter? Ille ruentem ſuſtulit URBEM:
  Ter forti Hic Urbem rexit utramque manu.
Humanas ſolùm fortis ſcidit Ille phalanges:
  Contudit Hic homines, tartareaſque feras.

Herculis intereà quis concinat inde triumphos;
Herculis & laudes carmine ad aſtra ferat?
Stantibus idcircò Saliis, Etruſca Juventus
Laudibus Herculeis aſtra ferire ſinat.
Te Stygii tremuere lacus, te Cerberus Orci,
Te flegetontææ contremuere feræ.
Jure igitur meliore canam præclara JOANNIS
Geſta: habet his etenim fabula nulla locum.
Tu Maurum jugulas ſurem, Tu barbara mactas
Prodigia, & Scythicas confodis enſe feras.
Lernæam ferro & flammâ Tu percutis Hydram;
Tuque Erymanthæum ſtipite perdis aprum.
Audi igitur, VIENNÆ, ter Cœlo clarus ab alto,
Atque URBIS flexo poplite vota, preces.
Salve chara Deo ſoboles, decus addite Divis,
Propitio & nobis Numine dexter ades.
Salve SOBIESKÆ quàm maxima gloria ſtirpis,
Præſidium Fidei, præſidiumque meum.
O mihi ſi valido nunc adforet enſe JOANNES,
Quàm citò Biſtonii cederet ira Lupi!
Guttura transfoſſus, tria Cerberus ora ſileret,
Nec ſaniem poſſet lambere lingua ſuam.
CÆSAREIS Aquilis caneret nunc ROMA triumphos;
Templorumque eſſent plurima ſigna tholis.

Vota

Vota Urbis præsentem intueri JOANNEM,

Post relatam de Mauris, in incrementum Religionis, victoriam: Cujus absentia pensatur

Per Præsentiam MARIÆ CASIMIRÆ Reginæ Uxoris;

PRINCIPUM FILIORUM

JACOBI, CONSTANTINI, ALEXANDRIQUE:

Et postremò

MARIÆ CLEMENTINÆ,

MAGNÆ BRITANNIÆ REGINÆ, NEPTIS:

Quibus duobus ultimò recensitis, defunctis etiam condecoratur.

E L E G I A.

STraverat invicti fortissima dextra JOANNIS
Æthyopes; Scythicas contuderatque feras:
VIENNA omnis vertit mansura in gaudia luctum,
Lætumque extollit vertice tuta caput.
ROMA exultanti plaudit lætata Sorori;
Proque habitâ palmâ thurea dona cremat.
Hinc ait exoptans: O si foret, ora tueri,
Copia, Victoris magnanimique Ducis!
Cur mihi non fertur, præsenti ut munera ferre,
Atque alternanti verba referre queam?

Præ-

Præſtare obſequium, dignaſque rependere grates;
Cernuaque invictam ſtringere ad ora manum?
Per quam VIENNA Soror Mauro defenſa feroci,
Per quam turrito vertice floret adhuc.
Per quam regnat adhuc Romana potentia Mundo,
Et mea per quam non eſt temerata Fides.
Dixerat: aſt Illum cœleſtia Regna manebant,
Latura Eroi præmia digna ſuo.
Hinc victor plantis ſublimibus aſtra petivit,
In quibus, æternâ ſede potitus ovat.
Attamen æthereo Solio ſublimis ab alto,
Proſpiciens ROMÆ plurima vota piæ:
Hùc miſit locuples Uxorem, Pignora, Neptem:
Uxor honos, ſplendor Pignora, Neptis amor.
Conjugis aſpectu, lætantis gaudia ROMÆ
Lætitiamque animì, quis ſatis ore ferat?
Collibus exultans ait: oh, datur Urbe morari
Dimidiumque ſui, deliciumque meum!
Et quoniam veram ſectantur pignora Matrem,
Stipata hinc triplici pignore Mater ovat.
Fulgidior ſicut reſplendet Luna, ſequaces
Si trahit Arcturos; Sol licèt occiderit:
Sic juxtà Natos excelſior enitet Uxor,
Aſtriferas inter ceu nova Luna faces.
ROMA hìc præteritam, JACOBO Principe viſo,
Lætitiam duplicans congeminanſque ſuam:
En,

En, ait, illa manus validiſſima fortis Achillis,
Qua mille Æthyopes interiere truces.
Immanem, ſuperi, quantâ vi perculit Afrum!
Quot letho, Odryſio ſanguine tincta, dedit!
Cædibus horribilis quo robore diſpulit hoſtes!
Quam video, ſatis eſt, hanc mihi noſſe manum.
Regali URBS igitur ditata hac ſtirpe ſuperbit;
Lætitiamque animi nec capit ipſa ſuam.
Quid verò? (res nulla diu mortalibus uſquàm eſt:
Quæ fit vix perquàm maxima, lapſa cadit)
Inter ALEXANDER geminata hęc gaudia, acerbâ
Morte, ævo florens, ultima fata ſubit.
Męſtę URBIS gemitus, Procerũ lacrymasq; referre,
Ploratus Populi, triſtitiemque Patrum:
Ter magnam pendens, qui juſtâ lance librare
Jacturam tanti Germinis, ille poteſt.
Undecimus Clemens quantùm perculſus acerbo
Hoc fuerit fato; dicere quis valeat?
Regalis teſtantur adhuc monumenta feretri,
Oſtenditque ſatis pompa decora facum.
Intereà URBS omni viduatur ſtirpe JOANNIS:
Namque abiit Conjux; Natus uterque ierat:
Iure igitur ſquallens longo mœrore tabeſcit,
Neve ſinit lacrymis ora rigare ſuis.
Ecce autem clarâ tandèm de ſtirpe JOANNIS
CLEMENTINA URBEM nobilitare venit.

Exci-

Excipit exultans plaususque ad sidera tollit,
Et tanto gaudet pignore ROMA suo.
Atque ait, Hæc Patrui defuncti hìc ante, doloris,
Abstergens lacrymas, vulnera prisca levat.
Hæc Aviam pensat, Patruos, Patremq; JACOBUM;
Hæc quoque (tantà Illi est gratia) pensat Avum.
Quid verò? ò nimiùm labentia gaudia terræ!
Hæc quoque vel florens ultima fata subit.
Qui dolor Urbi omni, gemitus lacrimæq; dolentum;
Qui mœror Procerum, tristitiesque Ducum:
Qui tibi tunc sensus lacrymanti, maximè CLEMENS;
Non opus hìc memorem: diximus ante satis.
Hoc transisse, nefas: JOANNIS maxima proles
Utraque CLEMENTUM est tempore functa diem:
Id fuerit: quoniam vel sint hæc tempora nacti
Defuncti, & proprios claudere uterque dies:
Jusserit aut Cœlum CLEMENTUM tempora habere
Sortem hanc: hic calamus scribere nescit iners.
Quidquid id extiterit: Defunctos, dixero, honores;
Sortem CLEMENTES non habuisse parem.
Hisce parentatum postquam clarissimè in URBE,
Necnon Regifici funeris actus honos:
JOANNES Cœli nitidis clarissimus astris
Romæ ait: hoc duplex pignus amoris habe.
Oscula si vivæ studuisti huic figere dextræ;
URBE mei hac duplici parte, perennis ero.

Ro-

Romam veniente

REGE JACOBO.

EPIGRAMMA.

VAde procellosis, erepte Infantule Moses,
  Cœli servatus munere sospes, aquis.
Vade: quid obliquis gradiens ambagibus hæres?
  Vade, scias, dabitur Sephora Sponsa Tibi.
Vade, propè est tempus, Populū quo deniq; pressū,
  Servili durâ conditione leves.
Vade Britannorum de climate misse Tobia,
  Quod facies Raphael diriget alter iter.
Vade peregrinas JACOBE secunde per oras,
  Pulchra Rachel peregrè quæ Tibi nubat, erit.
Vel solo baculo Patriis discesseris oris,
  Quanta Redux dives JACOB opima feres!
Vade, Saul hostis fugiens bella aspera, David;
  Abigail Sponsum Te pia Sponsa manet.
Vade: quid insidias, metuendaque multa pericla;
  Lictores, plagium, furta, necesque times?
Vade, Thronum Patrium per tot discrimina rerum,
  Jessiades alter, sorte ferente, petis.
Sic pius Æneas, Patriis à sedibus Hospes,
  In Latio invenit fœdera, sceptra, toros.

Eodem Urbem ingrediente,

TAMESIS

Regius BRITANNIÆ Fluvius

TIBRIM, alloquitur.

EPIGRAMMA.

SIſte fatigatas longis anfractibus undas,
  Tybri: tuas magnus nam ſubit Hoſpes aquas.
Regia ſi Latii majeſtas exulat oris;
  Jam nunc, Tybri, novo Rege decorus eris.
Excipe feſtivâ venientem fronte JACOBUM;
  Atque hilaris charum pondus, Amice, feras.
Excipias, meritoque Illum venereris honore:
  Hei mihi, cui tanto non datur ore frui!
Hunc ubi contuleris magnæ ſub mœnia Romæ;
  In mare præcipites volve ſuperbus aquas.
Si fueras omnes priùs inter maximus amnes:
  Suſcepto hoc poſthàc Hoſpite, quantus eris!



DUO

(LXXV)

DUO GENII,

Alter TIBRIDIS NYMPHAS;

ALTER

CLEMENTINAM

Urbem ingredientem alloquitur.

ELEGIA.

*Gen.*1. EXere virgineũ, glaucis caput exere lymphis,
Siqua pudens Tibris gurgite Nympha lates.
Exeat & tecum Charitum lætiſſimus ordo,
Naiadum, Dryadum, Nereidumque cohors.
Excipiantque novam veniente murice Nympham;
Et foveant molli languida membra toro.
In Latii terras dum CLEMENTINA propinquat;
Tibridis ad ripas en nova Nympha venit.
Et ſuperi, proh qualis adeſt! Quantũ inſtar in Illa eſt!
Haud vidit Cyprus, neve Cythera parem.
Quod decus ore nitet! digna eſt cui virgo Diana,
Et cedat venerans aurea dona Venus.
Excubat in toto divina modeſtia vultu;
Angelicum toto ſpirat ab ore decus.
Quæ ſpecies vultus! hilaris quæ gratia frontis!
Ut triplex uno regnet in ore Charis.

*Gen.*2. Vade peregrinas Rachel altera pulchra per oras,
Ducat qui dignus te JACOB alter, erit.
Vade puerperio fortunatiſſima Sancto,
Heroes Fidei quæ duo clara dabis.
Vade Polonorum de climate miſſa Rebecca:
Non unus: fuerit Natus uterque Jacob.
Vade, tuis totam repleas virtutibus Urbem;
Virtutis ſtimulus ſtans ibi quantus eris!
Vade, trahes poſt te tua per veſtigia plures;
Gloria quæ præeat, quæque ſequatur, erit.
Vade igitur, Sanctamque ſubi feliciter Urbem;
Atque tuæ exiſtat terminus illa viæ.



E M-

EMBLEMATA,

Quibus eximiæ

TUM REGIS JACOBI,

TUM

MARIÆ CLEMENTINÆ,

VIRTUTES VARIIS IMAGINIBUS ADUMBRANTUR.



Fides REGIS JACOBI Corde hoſpes recepta.

TEmpla ubi tuta diu, vaſto procul Orbe Pagano
Pulſa, habeam; ſedem conſtituamque meam?
Hic tamen à dextris en aſtitit, ecce JACOBUS:
Iſte, reor, Fidei Templa locumque dabit.

En

En ſubeas, inquit, noſtri penetralia cordis;
Non tantâ exiſtant Hoſpite digna licèt.
Jam ſequor, ingrediens *ponam hoc in pectore ſedem*;
Et fidi ſemper pectoris hoſpes ero.
Iſte vaporanti pro thure calentibus aris
Par eſt: proque animis millibus iſte ſatis.

Ad Fidem, ut in REGIO JACOBI, & MARIÆ CLEMENTINÆ pectore conſedeat.

EPIGRAMMA.

INgredere æterni pulcherrima Filia Patris,
Filia ſupremi Numinis, alma Fides:
Ingredere Iſtorum Regalia pectora; dignum
Auguſtum hoſpitium corde in utroque patet.
Templa tibi quæris, terris expulſa Paganis?
Cordibus Hi propriis templa thronumq;dabunt.
O quàm tuta moras hìc duces! Altera Nutrix
Fida erit: atque alter Duxque Comeſque tuus.
Quàm benè te Reges dicuntur lacte fovere (1)!
Quàm benè Regifico diceris orta toro!

CLE-

(1) *Erunt Reges Nutritii tui, & Reginæ Nutrices tuæ.* (*Iſa.* 49.) *Mamilla Regum lactaberis.* (*Iſa.* 60.)



CLEMENTINA linea filamenta expedit; è quibus Fides compactis vinculis, è ferrugineo Solio Barbariem lapsam adstringit.

POne supercilium, tumidâ qui mente superbis;
Ventosamque auram pone, superbe, tuam.
Aspice femineam Regali ut pollice tractat
CLEMENTINA colum, linea fila trahens.
Juxtà astans Illi, celeris vertigine fusi,
Turcarum casus netque trahitque, Fides.
Odrysio è filis subnectit vincula monstro;
Quod, videas, pressum colla cadensque ruit.
Et ferro atque igne Alcides confregerit Hydram:
Monstra, est, Odryseos plus domuisse colo.
Si tantùm valuit, terris dum vixit: in axe
Quid faciet, felix dum premit astra Poli?

Ce-

Digitized by Google

Celebres veteris Testamenti Feminas vel æquavit, vel imitata est.

EPIGRAMMA.

TEmporibus priſcis fuerit quæ Femina major?
Natos das Iſaac Sponſa Rebecca duos.
Sponſa puerperio, ter grandi juncta JACOBO
Rachel; Beniamin quæ paris atque Joſeph.
Ut Sponſo placeas, ſi quando compta nitenſque
Fers indumentum muricis; Eſther eras.
Siſara Jahelis clavo transfoſſus obivit?
Abſtulit & Judith, cæſo Holoferne, caput?
Tu ſæcli noſtri præfortis Femina; victrix
Thracibus abſcindis colla, teriſque caput.
CLEMENTINA, tuis quàm Te virtutibus effers!
Priſcas, par Mulier pluribus, una refers.

Clariores Regiis natalibus Feminas ſummo ſtudio imitari contendit.

EPIGRAMMA.

EXempli numquid, ſimili virtute, recentis
Reginas celebres non imitata refers?
Quas tibi præ totâ poſuiſti mente ſequendas;
Atque illis, totis viribus, eſſe parem.

Mar-

Margarita fuit, necnon Hedwigis, Elifa (1);
Has non es, parili more, fecuta Duces?
Numquid virtutes proprias hæ fponte dederunt?
An furtim dotes fubripis una tribus?


IN IDEM ARGUMENTUM.

ALtera fi tantùm dotes, & prima dediffet;
An non tunc, dicas, Sancta bis una, fatis?
Diva fatis Cœli Superis queifcunque videris;
Non tibi: ni fueris Sancta ter, ufque rogas.
Num Triadem, ficut Sanctos imitaris? an alma
Ipfa Trias ftudium hoc ingeniofa dedit?
Quidquid id eft: Triadis fuerint vel dona potentis;
Aut ardens fuerit plura petentis amor:
Cordibus ò utinam cunctis hæc vota virerent!
Tunc foret hæc vallis Patria, terra Polus (2).

DISTICHON.

Omnia prifca, novis cumulans, exempla refarcis;
Et docta ex aliis, ipfa Magiftra doces.

(1) *Prima Scotiæ, altera Poloniæ, tertia verò Portugalliæ Regina.*
(2) ...*Paradifus in terris, & in eis degentes Angeli.* (*Hier. in Reg.mon.*)



Summo mane ſurgit è ſtratis.

PRæproperet curſu celeri Sol clarus in Orbem,
Afferat ut Mundo, luce nitente, diem.
Expulſis ſomnis & ſpreto ſtramine, Solis
CLEMENTINA ortum prævenit, atque diem (1).
Quid mirum? Numquid roſeis Aurora quadrigis
Non præit Eoo, Solis, ab axe, jubar?
Corde vigil Domino ſemper, *vix lumina claudit*:
Corque Deo advigilans (2) otia longa vetat.
Maxi-

(1) *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* (*Pſalm.* 62.)
Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. (*Pſ.* 118.)
(2) *Ego dormio, & cor meum vigilat,* (*Cant.* 5.)

Digitized by Google




Maximo amoris æstu ad mensam Domini sæpissimè accedit.

REm prope Divinam ficui spectare voluptas;
Aspiciat, quam nunc sculpta figura refert.
Cernat, ut exardens Regina accedat ad aras,
Ut sumit Divas obsequiosa dapes!
Sumit, & accipiens Divo flagrat igne: flagransque
Ardet; & ardorem vix capit Ipsa suum.
Proh Deus! *Iste Calix quàm dulcis inebriat!* inquit:
Fitque mea his epulis quàm satura esuries!
Attamen ipsa fames, Diva hæc dum fercula sumit,
Pascitur; aut crescit grandior annè magis (1)?

 Tere-

(1) *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me adhuc sitient.(Eccl.24.)*

Digitized by Google



Tereſiam V. imitata, converſionem Mauris deprecatur.


ÆTernæ lucis ſplendor, Genitoris Imago (1),
De vero lumen lumine, luxque, dies:
Inſpice fronte procax, quantâ caligine mentem
Proh dolor! infelix Thracia preſſa jacet!
Sub Satanæ imperio tenebras pro luce ſequuntur:
Heu tenebræ! heu noctes! heu ſine luce dies!
Pro ratione ſcelus, vitium pro lege tuentur;
Eſt Mahometiſmus ſecta nefanda, Fides.
Lux Mundi tantis tenebris miſerere; remotis
Succedat tenebris lumen, & alma dies.
Tu qui de tenebris mandas ſplendeſcere lumen;
Ipſius illuſtres lumina luce tuâ.
Expellat tandèm tenebras, lucemque ſequatur:
Atque unus Paſtor ſit Gregis, una Fides. Re-

(1) *Candor lucis æternæ, & Imago bonitatis illius.* (*Sap.* 4.)



Rebus Mundi contemptui habitis, Christum gloriam suam, Fidem sibi Coronam optat.

CHriste decus Cœli, nitidi Regnator Olympi,
De vero Numen Numine, Rexque potens:
Quid mihi cum Regnis terræ? Cœlestia cordi
Regna mihi: cordis sidera cura mei.
Aula vale Regni, Solii vos Sceptra valete;
Regia perpetuùm blanda Corona vale.
Gloria clara vale mihi: *Tu mea gloria, Christe*;
Atque meum Regnum: Tuque Corona Fides.



Supernæ Patriæ desiderio flagranti, Divinus Amor ignito jaculo præcordia transverberans, Animæ semitam pandit.

VIta mei cordis, JESU; mea gaudia JESU;
  Dulce melos, nectar, melque suave meum:
Quantus corde sedes! *Hoc quis me carcere solvet;*
  Hæreat ut tandem spiritus iste tibi?
Corpore dissolvi cupio: mihi vivere pœna est;
  Atque mori lucrum: mors mihi vita foret.
Hinc Puer armipotens validum in præcordia telum
  Injicit; atque datâ morte triumphat Amor.
Quomodo Mors istud posset succidere stamen;
  Aurea si cedit stamina solus Amor?
Porrò Amor hoc stamen quidni succideret? Almus
  Namque Amor hoc stamen duxit; Is ergo tulit.

Ad Sereniſſimos

C A R O L U M

WALLIÆ PRINCIPEM,

ET HENRICUM

Ducem Eboracenſem.



INvicti Proceres, fortiſſima pectora belli,
Magnanimi Juvenes, veri duo fulmina Martis,
Atque novi Fidei Heroes, pia germina Regum,
Digna STUARTORUM Regali Sanguine proles,
CAROLE prima Patris ſoboles, HENRICE ſecunda,
(CAROLE ſpes Patris florens, HENRICE levamen)
Vel minimas tantùm veſtras quis dicere laudes,
Ut par eſt, valeat, dignoque extollere cantu?

Non

Non mihi Mœonio fluerent ſi carmina plectro,
Non mihi centenis reſonent ſi vocibus ora,
Omnia tot decorum præluſtria ferre valerem,
Omnia tot laudum præconia currere poſſem.
Diva Fides Procerum per laudes ire tuorum
Conanti præſens adſis; & Numine grandi
Grandia commemorans, audacibus annue cœptis,
Auſpice Te, placido jam ſolvitur anchora portu,
Atque per immenſi ſublimes æquoris undas
Ire parat: fragilis Tu per maris alta petentis
Dirige Navis iter; validis ne concita ventis,
Neu fracta in ſcopulis, ſæviſque oppreſſa procellis,
Naufraga mergatur: redeat ſed littora ſoſpes.
Nam fari eſt animus quàm clarâ à ſtirpe creata
Hæc pia Progenies, magnus cui junctus IBERUS,
Junctus LUSITANUS adeſt; conjunctaque MAGNA
AUSTRIACIS AQUILA eſt plumis: qui Sãguine ab uno
Scindunt ſeſe omnes, maternâ ex ſtirpe creati:
Præteritis GALLUS thalamis quoq; Sanguine jũctus.
Creverat invicti Neptis formoſa JOANNIS,
Jam matura toro, jam plenis nubilis annis,
CLEMENTINA: ſuis quam pro virtutibus unam
Antiquo Illuſtris generis de Sanguine natus
Sarmata quiſque petit Sponſam. Majora ſed Illam
Fata vocant aliò, virtutis in Urbe theatrum

Ut

Ut foret ; atque adeò totam latè undique terram
Repleret, complens tantis virtutibus Urbem.
Tunc Petri Navim summâ cum laude regebat
Undecimus CLEMENS : paulò priùs Urbe JACOBUM
Qui, quo par fuerat splendore exceperat ; & qui
SOBIESKI MARIÆ sacrato Chrismate inunctæ,
Grandis Avi in summi studii monumenta perennis,
Nomen habere dedit, perfungens munere Patris ;
Et CLEMENTINAM proprio de nomine dixit.
Regius Anglorum Juvenis dignusque JACOBUS
Hanc sibi sponderi curat : Cœloque volente,
Acta hæc, spe citius, valdè licèt ardua, res est.
Jamque triumphali pompâ prope mœnia Romæ
Nupta Puella subit, cunctis plaudentibus. Urbis
Gaudia quis referat, tandèm cum læta videret
Principe JACOBO Natam, Neptemque JOANNIS ?
Urbe recens aderat, quam nulla oblivia mentis,
Neve dies adiment, illius fama JOANNIS
SOBIESKI invicti, cujus de robore dextræ
Sospes adhuc durat, devictis hostibus, Urbs hæc ;
Atque VIENNA Soror Turcâ defensa feroci :
Quando sub proprio demersit sanguine Lunam.
Cum gaudens tota Urbs ait : O datur ora tueri
Atque iterùm spectare, suo de sanguine prolem
Illius Herois, cujus virtute valoris
Turcica captivum non stringunt vincula collum,

Non data Prædoni caſſis, non læſa poteſtas.
Salve chara Deo, Regis plæclara JOANNIS
Neptis, ter grandis Conjux & digna JACOBI.
O, Superi faciant, Regali ut juncta Marito
Non longè hinc decores Regali germine Romam;
Atque novo Mater cumules nova gaudia fructu.
Læta novos Proceres expectat Roma Britannos,
Expectatque Fides, tantis plauſura triumphis.
Audierant hæc vota Poli, cum Regia Conjux
Concepto tumidum præſenſit pignore ventrem:
Jam jamque adventant pariendi tempora. Pupus
Non JACOB abſimilis, ventris de carcere ſolvi,
Et manibus pedibuſque ſimul ſe pandere in auras
Æthereas geſtit. Matris cum CAROLE tandèm
Ex alvo egrederis: Natum non pronuba Juno,
Non Venus, aut Altrix ſuſcepit Diva triformis;
Neve Thetis talo Stygiis immerſit in undis.
Sed Themis alma ſuis ſuſcepit protinus ulnis
Obſtetrix: Charites lavarunt flumine puro;
Speſque oſtro involvit; Pietas cunabula duxit:
Religio tandèm teneris dedit ubera labris.
Splendida dona ſinu, vultu Natura ſereno,
Munificâ verſat dextrâ: pulcherrima Virtus
Divinas effundit opes. Naturaque tandèm
Se tantum potuiſſe ſtupet: ſtupet ipſaque Virtus:
Utraque primatum jactans, ſeque auſpice, Natum
Vult

Vult Te. Naturam ſed virtus Vincit; & Illa
Se vinci gaudet. Nato Te, ſidera lucem
Inſuetam nobis præbent (*); Cœloque loquente,
Magni aliquid toti viſa eſt portendere Mundo
Lux Superis aſtris fulgens. Num gloria Phœbi
CAROLE, facta tua eſt Infans? Aut axis utrique
Naſcenti blandus ridet fulgentibus aſtris?
Macte igitur virtute Puer, creſce omine tanto;
Revera felix portendunt ſidera fatum;
Regie macte animis Infans: Sic itur ad aſtra.
Aſpicit Urbs ſidus fulgens, loquiturque viciſſim:
Quis, reputas, erit iſte Puer? Simulacra Deorum,
Et ſacra Idolis, Domino naſcente, ruinam
Fana tulere. Jugis Scythiæ glacialibus altis,
Ac Libyæ cryptis, capitis ſeptemplicis Hydra,
Te Nato, trepidare artus, formidine caſum
Anticipare ſuum, proprioque paveſcere in antro.
Hinc aït: Hic ille eſt Heros, quem fata cadenti
Mox mihi laturum portendunt enſe ruinam.
Nec ſpes ulla fugæ nobis; non enſe minaci
Enſem, nec fatis contraria fata repellam.
Dum ſic illa gemit; quantùm te Roma ſuperbit
Exultatque animis! Secumque Britannia quantis
Surrigitur votis, Cœlo capita alta ferendo!

(*) *Qua hora Princeps CAROLUS naſcebatur, ſumma totius Urbis admiratione, fulgidiſſimum ſidus in Cœlo viſum eſt.*

Utraque in hoc ortu ſeſe ſolatur. Inani
Nec ſpe fruſtratur ſperans: nam lucis in ipſo
Fortis veſtibulo, Patrio vix natus in oſtro
Vagitus fundis nullos: vel gutture fletus
Si promis, bella Æthiopi fatalia monſtro
Infans præforti dextrâ; non Herculis inſtar,
Res ſed præclarè geſtas imitatus avitas,
Flendo paras; quave arte vales, indicere bellum,
Voce movere acies, Martemque accendere diſcis.
Lactis adhuc, cunas tener indignatus inertes,
Reptaſti per ſcuta, Puer: Jam trimus ovanti
Indueris galeâ, lateri jam porrigis enſem,
Jam clypeo lævam munis, jam dirigis haſtam.
Bellica quæ virtus? Atavis quæ gloria priſcis?
Qualis Jacobus, quantuſque Henricus in hoſtes?
Major uter fuerit? quo Rege Britannia tandèm
Clarior extiterit, vaſtum turrita per Orbem?
Hæc ſunt, quæ primis Juvenis ſcrutatus in annis,
Patre pio monſtrante, petis. Nil optimus Ille
Gratius aſpexit retrò actâ luce dierum;
Quàm quod virtutum ſtimulis melioribus ardes,
Quodve animo mactus forti, Te florido in ævo
(Tanta nitet virtus) Atavis potioribus æquas.
Majeſtas vultu reſidet, nitet ore venuſtas;
Atque decus Regale nitet, gravitaſque, leporque.
Quæ propior Sceptris facies? Quis dignior aulâ
Vul-

Vultus erit? Regnum poteras hoc ore mereri.
Grande decus Regem nasci, fierique merentem
Majus: utrumq; simul summum. Te Principe in uno
Splēdet utrumq; decus summū: namq; auspice Cęlo,
Et Regem Virtus faciet, Naturaque fecit.
Degeneres animos timor arguat: ò quibus hostes
Vel nunc spiritibus terres! Ad Regis honores
Invenies virtute viam, Genitricis ab astris
Adjutus precibus. Stimulis exempla tuorum
Te quantis urgent! Summū quoque maxima Regni
Gloria calcar habet: nec Te præclara JOANNIS
Fama latet, summo Cœli qui clarus ab axe
Martia bellanti tradet præcepta Nepoti.
Illius exemplo motum juvenilibus annis
Quo zelo pectus flagrat! quæ Martia tecum
Bella putas animo! quantus consurgis in hostes!
Quantâ vi traheris! quantoque accenderis æstu!
Vix animum Natura capit; stupet ipsaque Virtus.
Sola Fides animum noscit: namque illa creavit
Tantos corde animos, tantosque illa addidit æstus;
Atque suum Heroem fecit: quo sospite, monstrum
Immanis Scythiæ, Cœli fulgentibus armis,
Proteret invictâ dextrâ: namque arma paravit,
Quæ non ignivomis vastæ fornacibus Ætnæ,
Iliaco Æneæ, magni Tibris arva petenti
Brontes, ac Steropes, & nudus membra Piracmon
Edi-

Ediderint: Cœli aſt ipſis incudibus almis
Ipſa Fides opifex fecit, Themis alma recoxit.
 Eja age, magnanimus ſupra femur enſe potenti
Cingere (1), & adverſos hoſtes pro viribus urge:
Atque ſuperbificâ poſſeſsâ ſede revulſum
Cimmerium proprio fodito mucrone Tyrannum.
Indue jam Proavos, atq; indue mente JOANNEM:
Hunc ſequere, hunc ſpectans imiteris pectore forti.
En vocat, & validis compellat vocibus ultrò:
Niliacas, i, ſterne acies: i, comprime plantis
Turcarum Lunam. Byzanti expelle rapaces
Intruſos Solio: Satanæ diſrumpe catenas,
Atque tuos, fractis Mauris, extolle Britannos:
Jamque aſtra expectant, expectat Roma triumphos.
 Et quoniàm Procerum bellis unita duorum
Fortior eſt virtus: ſis ut fortiſſimus Heros;
Jam primi nondùm tetigiſti limina luſtri;
Alterius, Romæ votis, cum germine prolis
Eſt fecunda Parens, digno tibi Fratre creato,
Exornans Urbem geminâ, cum prole, coronâ.
Tuque HENRICE decus terris adnaſceris; & qui
Fratri par Frater, Patriſque ſimillima Imago,
Ore refers ambos, ambos virtutibus æquas.
Digna Patris ſoboles, teneris vel Parvulus annis
Nil puerile ſciens, virtutum attingere culmen
Vi-

(1) *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſimè. (Pſalm. 44.)*

Digitized by Google

Visus sponte Puer, plenus gravitate senili,
Consilioque potens, nunc & par Sceptra tenere.
Insigni aspectu vultus atque ore venusto,
Nescio quæ præstans renitet pulcherrima virtus,
Et plusquàm mortale ferens. Si ludicra pugnans
Pulvere in exiguo parvus certamina ducis,
Jam non exercens ficto sub Marte palestram:
Mars sed in ardenti congressu verus in hostes
Prœlia bellanti dextrâ, victricia signa,
Milite stipatus, cuneos aciesque videris
Ducere; perque agmen, laniantis fulminis instar,
Ense uti: cædesque, manu, Crucis hostibus ardens
Fulmineâ deferre: fluit queis Tigris in oris,
Quà scatet Euphrates, rapidus quà Nilus inundat.
Ergo age, rũpe moras, pugãns age bella: quid ergo
Ultrà quid cessas? virtus hæc tanta, sub umbrâ
Quàm lateat tacita, est major: cum Fratre sodali
Conjuncto lateri, stricto mucrone recluso;
Vel tecum Ille sui gladii fulgoribus: ambo
Plusquam Scipiades, magni virtutibus ambo;
Ite per extremam Libyam: Parthumque severum
Fatali jugulate manu, jugulate ferocem
Barbariem: Lunamque suo sub sanguine mersam
Scindite sublimi plantâ: pessundate dirum
Maurorum Solium: Reduces vexilla subacta,
Barbaricis captis spoliis ditatus uterque,

Ur-

Urbem victores referatis signa triumphi;
Quæ suspensa tholis, vestri præclara valoris
Posthàc venturæ ætati monumenta supersint.
Ite, reluctanti, memores virtutis avitæ
Carpathio, Scythicoque freto, Geticoque frementi
Ponite fræna mari: validum fortemque tridentem
Tollite, & imperio tantos compescite fluctus.
Thracius, Assyrius quidquid complectitur axis
Vestri juris erit. Timeat qui forte repulsam
Forsan erit; Solio quoniam non Natus avito
Advena uterq; est vestrũ? An non hac forte vel Ipse
Romulus à Patrio Regno cum Fratre Quirino
Longè ortus? Romamq; tamen non condidit Urbem
Orbis Reginam: tanti quæ Filia Patris
Armorum, legumque Parens, caput extulit astris;
Solque ubi consurgit, gelidis ubi mergitur undis
Protulit imperium? Numquid virtute minori
Heroes fuerint Fidei; cum maximus illis
Accrescet cum stirpe valor? BORBONIA PROLES
Magna satis, vastumq; nitens tam clara per Orbem;
Ac AQUILA AUSTRIACIS regnãs ter maxima plumis,
An non cognatis Signis victricia semper
Arma dabunt, aciesque ferent? Vexilla volare
Jam video; adversas hostis videoque phalanges
Non fictâ trepidare fugâ; monstrumque superbæ
Odryseos, palmas vinctum dare colla catenis.

NA-

NASCENTE

CAROLO,

Sidus inſuetæ lucis in Cœlo enituit,

Cui additur poeticus de pallore Lunæ conceptus.

EPIGRAMMA.

CAROLUS has ſuperas naſcens vix prodit in au-
Sideris ecce novi fulget in axe jubar. (ras)
Sol novus æthereis veluti prodiſſet in oris;
Ætherei in plauſus exiliere Chori.
Aſtra recèns nato Puero riſere; Poluſque
Eſt viſus vultu ſplendidiore nitens.
Sidereos inter (quis credat?) ſola triumphos
Luna dolet; gelido pallida fitque metu.
Ne mirere tamen: venturi præſcia caſus
Turcarum Turmis, nonne timere poteſt?
Præteritos ab Avo caſus ſecum ipſa recordans,
A Nato ſimiles, quo vereatur, habet.
Aſt Cœlo, Pueri, relegenti in fronte triumphos,
Sidere nonne novo cauſa nitere fuit?
CAROLE macte animis igitur; creſce omine tanto:
Aſtra ferunt Martem, frons probat eſſe Jovem.

Majestati Catholicæ

JACOBI III.

Magnæ Britanniæ Regis.

O D E.

URbis ò splendor, decus ò Britanni
Regium Cœli, Superis amicum,
Inclytum Germen, sobolis STUARTÆ
Gloria Princeps:
Exteras oras recolens ut Hospes,
Numquid es Terrâ Patriâ remotus? (1)
Omnis est (nescis?) Homini valenti
Patria Tellus.
Imo Regali Solio vel absens,
Nonne Rex regnas dominans? Supremo
Nonne primatu frueris, decora
Sceptra potitus?
In throno dotum renitens tuarum
En sedes: illæ famulantur omnes;
Atque virtutum, studio faventi,
Turba coronat.

Ipse

(1) Virtus in tempestate sævâ quieta est, & pulsa loco, manet tamen, atque hæret in Patriâ. *Cic. pro Sextio.*

Ipſe Tu Regnum, diadema, ſceptrum,
Ipſe Tu Regis dominans voluntas:
Victor hinc temet moderans, perenni (1)
Pace gubernas.

Alter ut Titan jubaris perennis,
Siderum claro minimè Senatu
Indigens, ſemper propriâ coruſcus
Luce renides (2).

Sic Deus pacis, ſimiles ubique
Qui ſibi Reges voluit, creatis
Vel carens cunctis opibus, ſibi ipſi
Sufficit unus.

Imperent Regnis alii: potenti
Lege Tu mentes moderas; veliſque,
Reſpuas, nobis meliore victor
Sorte triumphas.

Namque Virtutis videat quis almæ,
Vel ſemel, vultus nitidos & ora,
Non & illius ſpeciem venuſtam
Diligat ardens?

Proſpera ò Tellus, ſolio ſedentis
Quæ tuis juſſis famulans ſubeſſe;
Te regi & felix, valeat quod exin
Principe Regnum!

(1) Ipſi ſunt Reges Magni, qui tentationum motibus non conſentiendo ſuccumbere, ſed regendo præeſſe noverunt. *Ven. Beda lib. 3. cap. 43. in Luc. 10.*

(2) Virtus ſplendet per ſe ſemper, nec alienis umquàm ſordibus obſoleſcit. *Cit. Cic. pro Sextio.*

Tunc suos Cecrops taceat Solones,
Sparta tam claros taceat Lycurgos:
Aurea haud ipsum Latium vetustum
Sæcula jactet.

Rege Te Regnum regeret Paterna
Molliter pastum Pietas: amatis
Et Themi quantâ Populis amatâ,
Jura darentur!

Gratius nullum caderet, tenente
Rege Te sceptrum, Thetidi Britannæ;
Quàm piâ tanti Ducis, atque Patris
Lege teneri.

Vix jugum legis subiens suavis,
Subditus parens, sibi Te Parente,
Dulcius subdi foret, an præesse
Nescius ipse.

Maximum sumant decus à regendo
Ceteri Reges Populos volentes:
Num minor Regis solio carentis
Gloria splendet?

Invidè Solis faciem nitentem
Nubila obtrudant, radiosque celent:
Numquid obductus tenebris, minori
Luce coruscat? (1)

Non

(1) Virtus lucet in tenebris, splendetque per se semper. *Ibid.*

Non tibi Regni diadema clarum,
Majus afferret decus atque lumen;
Quàm quod à cunctis Populis amatus,
Optimus edis.

Vir satis felix, satis & beatus,
Cui data est, Divûm placito volente
Digna Te Sponso thalami jugalis
Femina tanta (1).

Par fuit Virtus utriusque: solus
Dignus es visus Superis, ut Illam
Duceres: nullo, nisi Te, Puella
Digna Marito.

Mutuò amborum stimulata virtus
Crevit: unius meritum precesque
Alterum juvit: pius hinc in Urbe
Claret uterque.

Luminis, Phœbus, Pater atque lucis
Feneret puræ radios Sorori.
Fratris hæc, pleno coeunte cornu,
Luce nitescat.

Inter at vestræ probitatis æstus,
Phœbus an Lunæ tribuat nitorem;
Luna vel Phœbo: dirimat quis æquâ
Lance problema?

Urbe

(1) Mulieris bonæ beatus Vir. *Eccl.* 26. Nullum proba uxore melius unquam obvenire potest. *Greg. Nazianz. Orat.* 18.

Urbe dum splendens fuit hic uterque ;
Unus amborum nituit per Orbem
Splendor : amborum jubaris nitentis
Unus & haustus.
Altior verò petiit beatam
Luna dum sphæram, tenuitque summi
Solis ardentis radios, & almâ
Luce coruscat :
Solis æterni propior micanti
Currui ; Phœbo, medio relicto
Axis, & lucem Geminis, beatis
Mittit ab astris.
Solis hinc Phœbe radiat nitore :
Phœbus atque astris Geminis propinquus,
Et duplo major, nitidus corusco
Lumine splendet. (1)
Maxime, hinc tantis radiis, JACOBE,
Orbe adhuc degens, probitatis auctus,
Lucis es miræ triplici coronâ
Tempora septus.
Grandis est Regni Patrii Corona,
Major est Sponsæ Pietas probatæ ;
Sed tuæ vincit Fidei supernæ
Magna ter ambas.

Ergo

(1) Erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter sicut lux septem dierum. *Isa.* 30.

Digitized by Google

Ergo lætare his modulis, amaros
Pelle jam queſtus, lacrymaſque tergæ;
Atque crudelis medices recentis
Vulnera mortis.
Interim Prolem refovens, Paternis
Moribus formes, doceaſque Matrem;
Atque ad æternum Fidei triumphum
Pignora ſerves.
Sedibus tandèm renitens beatis,
Mille poſt annos, geminumque Natum,
Te throno in Cœlis cupiens ſereno
Sponſa moratur.

FINIS.



MAG 2022255

Digitized by Google

Digitized by Google

Die 19. Maj 1842

Digitized by Google